

# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXXII (Fasc. I) — N. 177  
M. MARTIO · A. MCMLXII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetis; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

**PALAESTRA ADULESCENTIUM**: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dollaris.

**Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA** (10)  
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum

**Scripta ad Moderatorem**: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L. - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXXII (Fasc. I) N. 177

M. MARTIO A. MCMLXII

A. GUERCIO, <i>Vergilius, «Pius vates et Phoebos digna locutus»...</i>	249
AE. ORTH, <i>De Porphyrio</i>	258
N. MANGEOT, <i>De papyro, libris bibliothecis actisque...</i>	262
ANDRAE AVENARII, <i>De studio linguae latinae adnotatiunculae</i>	265
B. SCHMIDT, <i>Grues Ibycinae - Duae ranae - Hilaris et tristis...</i>	269
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: De cena et prandio apud R...</i>	276
B. FONTANINI - MIR - GR. JOSEPH - IL. GONZALEZ, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	284
J. ARAMENDIA, <i>Per Orbem</i>	289
<i>Bibliographia</i> , MARQUES - ARAMENDIA - GONZALEZ - TEJERINA	293

### PALAESTRA ADULESCENTIUM

<i>Gregorius Joseph</i> , <i>De animalis fascinatione</i>	301
<i>M. Escura et V. Climent</i> , <i>Doctor omniperitus</i>	302
<i>Martialis Casajús</i> , <i>Kennedy praesidem esse voluit, quia munus neque facile neque commodum erat - I. Martiartu, L. Paricio, In schola</i>	304
<i>R. Sarmiento - Ignotus - C. Latorre</i> , <i>Aeneas - Agnulus et puellula - Pecten</i>	305
<i>M. Curtius</i> pro patria dis manibus se devovet	306
<i>Heribertus H. Huxley, V. Climent</i> , <i>Aenigma ovidianum</i>	308
<i>R. Sarmiento</i> - <i>Constantinus imperator - Catellus sapiens - Simia vaniloqua</i>	309
<i>M. Escura</i> , <i>Verborum Aenigma</i>	310
<i>Scalae sublimes - Triangulus magicus - Solutiones</i>	311
<i>M. Molina</i> , <i>Imbrem rorat - Geographiae schola</i>	312

# PALAESTRÀ LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXII (FASC. I) — N. 177

M. MARTIO

A. MCMLXII

## Vergilius, "Pius vates et Phoebos digna locutus"

Pius vates et Phoebos digna locutus, talis Vergilius subit iis imago, quibus, ut Horatio, ut Alagherio, Musae prae ceteris alumnis benignissime ubera praebuerunt. Horatius enim, velut gaudio elatus, tacite contemplatur animam qualem non candidiorem terra tulit<sup>1</sup>, perinde quasi ipsa reverentia intercludantur sibi verba, ut cum timet puer, ne respirando tersum speculum suffundatur vapore. Ac Dantes altius agit iter, cum audet sibi facere Vergilium ducem et magistrum itineris ad Deum; nec, ut videtur, plane ficta et commenticia narrat, quandoquidem exordium divini poematis non parvum testimonium est resumptam denique ab Alagherio lectionem Aeneidos<sup>2</sup>, dulcissimam olim, cum paene puer colebat castum amorem erga Beatricem, postea opacis annis oblivioni datam, plurimum ei profuisse simul cum revocata memoria mortuae puellae, ut ad bonam frugem aliquando tandem rediret. Etenim Vergilius, sive pascua cecinit, sive rura, sive duces, ita animum tangit tamque suavi dulcedine perfundit, ut Carduccius, cum nullum iudicium satis idoneum sibi videretur Vergilianae poeticae recte definiendae, in praeclarum suum «breve et amplissimum carmen» detulerit tamquam fasce colligata ea quae potissimum animos commoverent, ut conjunctis saltem ponderibus aequarent illud: «Tale tuum carmen nobis, divinae poetae<sup>3</sup>».

Vergilium, cum, etiam juvenis, Syronem audiret, idque Neapoli, non avertit sua doctrina Epicurus a diis colendis, non sui luxuriantes horti allexit rosas. Num Epicuri de grege Vergilius ille, cujus anima candida fuit si qua

1. *I Sat.*, V, 41.

2. *Inf.*, I, 63.

3. *Ecl.*, V, 45.

umquam, cujus similis virginis verecundia, cujus amor totus in paterno agello tenera harundine praetexto, qua tardis flexibus errat Mincius? Namque hic, ut erat natura ad contemplandum proclivis, rura, sua regna, e tranquillo lare mirabatur; hic, ubi procul discordibus armis justissima tellus<sup>4</sup> facili fructuum copia remunerabatur hominum boumque labores; hic, ubi serena quies, pudici mores et nescia fallere vita<sup>5</sup>. Atque hic, Mantuanus vates, ignaros viae miseratus agrestes<sup>6</sup>, dum docet, quae sint artes arva colendi, effundit, velut nativum animae odorem, ingenitam sibi pietatem in deos et suavem humanitatis mollitudinem in agricolas, genus duratum labore ac purum et insons, tamquam sit recens a Deucalionis aetate, nec tamen sua bona noscens<sup>7</sup>.

Quodcumque laboris genus, inquit, erit tibi in agro incipiendum, imprimis venerare deos<sup>8</sup>; id labore enim sanctitudo quaedam est, utpote quem ipse Pater voluerit, ne rura torperent veterno; atque Ipse certis siderum signis, prout varii sunt mutandi labores, quasi praesens adest agricolis; ab Ipso pluviae salubres, propitia caeli temperies, venti tenues, maturi soles, ut veniant laetae segetes et mollissima vina; quin etiam Ipse recreat divini gloria ruris oculos et animos, sive ineunte anno prima omnium amygdala se induit in florem, sive late jactat odorem ingens cedrus semper vernans et faciem simillima lauro, sive veniente aestate insita arbor miratur non sua poma<sup>9</sup>.

O Vergilii pietatem cum candidis moribus conjunctam! o testimonium animae naturaliter christianae<sup>10</sup>! Si laborantes in agris satis habet hortari, ut venerentur deos, non timet admonere omnes magna voce: «Discite justitiam et non contemnere divos<sup>11</sup>», si miseratus Palinurum inhumatum facit Sibylam inter verba «duri solacia casus» obtestantem, ut desinat fata deum flecti sperare precando<sup>11</sup>, quid denique affirmat nisi stultum esse contra sempiterna ire deorum decreta? si «invitis dīs» preces axaudiri non credit, quid tandem animo volvit nisi nefas esse voluntatem humanam a divina discrepare?

O metuentes deorum et morum sanctitate insignes Vergilianos ruricolos, qui festis diebus operantur sacra secundum acceptum a patribus ritum, et ea tantum expediunt opera, quae fas et jura sinunt<sup>13</sup>; qui exemplo terrae altricis tamquam matris voce didicerunt vires et animos reficere variando labores pro anni temporibus! O beatos, quorum casta pudicitiam servat domus<sup>14</sup>; quos juvat perinde convexa caeli spectare, quasi sint loci laquearia, et dies lunae computare, ne inopinantes deprehendat «quinta», cum facies hominis

4. *Georg.*, II, 459-60.

7. *Ib.*, II, 457.

0. *TERT. Apolog.*, XVII, 6.

13. *Georg.*, I, 268-69.

5. *Ib.*, 467

8. *Georg.*, I, 338.

11. *Aen.*, VI, 520.

14. *Ib.*, II, 524.

6. *Ib.*, I, 41.

9. *Ib.*, 188; II, 131; *Ib.* 82.

12. *Ib.*, 376

e pleno orbe spectat adversa mortales<sup>15</sup>; et identidem monstrare digito dulcibus natis longos albescentes siderum tractus labentium per sudum<sup>16</sup>! Post, nondum progressa nocte, capiunt, praemium laboris, faciles somnos, dum venit per lenta intervalla lenta vox solitariae axionis.

Quae candida pax alis librata suis super agrestium tecta!

Extemplo adveniunt veterani belli civilis: Haec nostra sunt; «veteres migrate coloni<sup>17</sup>». I nunc, Meliboee, insere puros, pone ordine vites! Impius miles habebit tua tam culta novalia, barbarus tuas segetes; ac, si quando videbis quae fuerunt tua regna, aliquot saltem miraberis aristas, an omnia gramen et glarea erunt?

Ac tu quoque, miseratus poeta Meliboeum, longe abibis a dulci praediolo, ubi videbas, tuum amorem, Cecropias apes «dedala fingere tecta<sup>18</sup>», et campum spectabas pascentem herboso flumine cycnos<sup>19</sup>; quin non effugies dira minitantem Milionem Toronem primipilum, advenam tui agelli possessorem, nisi festinanter Mincium tranando.

Sed de hoc Donatus; apud Vergilium nihil. Venusini quidem omnis patet vita lepidis sermonibus descripta tamquam votiva tabella; sed Mantuanus, ejus dimidium animae, longe aliud mente volvit: recursant animo languentes abductis colonis patrii agri, fas versum et nefas, tot bella per orbem, tam multae scelerum facies<sup>20</sup>; et identidem subit amara illa nec nova sententia res creatas universo servire dolori. Quis crederet non paucos inflatos recentiorum aetatum philosophos, eadem sententia perspecta vel potius arrepta, Deum negare non dubitavisse? Quorsus tandem? Ut lymphati asseclae olim interficerent reges, civium jura ad libertatem jugularent, dummodo suam satiarent libidinem dominandi? Ut conarentur Acheronta movere, si fieri possent terrarum domini?

O si homines Vergilium cognoscerent, ut aliquando tandem humaniores fierent! Potuit profecto ejus poetica, divina humanis inserens, tam suaviter morum puritatem suadere, ut Petronia Proba, nobilissima matrona, non auderet vitam Christi narrare, nisi dulcibus Aeneidos hemistichiis; atque satis fuit vaticinium illud: «Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo», ut non raro christianam religionem amplecterentur amplissimi viri Romani. At nunc, quo devenimus! ubique gentium tolluntur clamoris ovationibus ad sidera cujusvis ludorum generis certamina, victoresque evehuntur ad divorum et divarum Olympum; quod si quis, abditus in solitariis studiis, cogitat quid

15. Adhuc in meridiana Italia fugiunt «quintam», nec solum agricolae; sed hoc vocabulo nominant quintamdecimam, quae post hominum memoriam vulgo nextiam credunt novis praesertim operibus incipiendis; ceterum, quotus quisque facile dignoscit diem quintam a quarta aut a sexta?

16. *Ib.*, 368.

17. *Ecl.*, IX, 4.

18. *Georg.*, IV, 179.

19. *Ib.*, II, 199.

20. *Ib.*, I, 505-508.

velint arcana humani doloris, taedio captus frustra pervestigandi: «Expedit», inquit, «negare deos, et caecis fatis obstinate obsistere».

At Vergilius, aequae ac sui Elysii vates, Phoebæ loquitur<sup>21</sup>, cum molli carmine aperit hominum et creaturarum rerum dolores esse denique vulnera naturæ suaviter tractanda manu. Non enim sine divino quodam afflatu sentit e dolore germinare amorem, ut ex obscura humo suave olentem violam; ac profecto non dantur tristia, quin sequatur natura jubente pietas. Sed, quod summopere nostra interest, Vergilius, qua mollitia animi est ac lenitate, non moratur hirsutis præceptis legentes, non maerentibus elegis vult sensum ciere pietatis et amoris; sed quæ miseranda tangit, modulata carminis dulcedine tamquam lenissimis blanditiis tangit: sive juvenes bello peremptos, sive nocturna carpentes pensa puellas<sup>22</sup>, sive maerentem fraterna caede juvenum<sup>23</sup>, sive conferto agmine cervos e mole nivis summis cornibus exstantes, et frustra trudentes pectore montem<sup>24</sup>; sive ruentem aethera et ingenti pluvia diluentem laeta sata boumque labores<sup>25</sup>; quæ omnia apud Vergilium ipsa per se vocant lacrimas, perinde quasi poëta non sua sed dolentis naturæ loquatur voce. Sunt enim in natura rerum per radices conjuncti dolor et amor; itaque, ut in Georgicis legimus, tantus est amor terræ in ea, quæ gignit, ut, si loqui posset, ipsa monere vellet, ne summa vitis petantur flagella, neu laedantur retuso ferro, neu e summis arboribus defringantur palme<sup>26</sup>. Sic curabat Asinas ne detorto culmo laederetur florum pulchritudo. Quod si grave illud epiphonema: «Sunt lacrimæ rerum» non absurde consonat cum sacris Pauli verbis: «Omnis creatura ingemiscit<sup>27</sup>», quid denique restat, nisi cum Asinate videre «creaturas minores» fraterna consanguinitate nobis conjunctas?

Sed, heu, statim inde a caede Caesaris saevit in terris scelerata insania belli.

Quid Vergilius? mitis poëta meminisse horret quæ miserrima vidit; num, indignabundus ut orator popularium partium, narret e rostris cives cives caedentes, et delatum ad scelestam triumviri feminam, proinde ad donum nuptiale, præcisum caput M. Tulli Ciceronis? Nunc ut nunc contemplatur immemor sui faciem diu lacrimatae pacis illinc emicantem et illinc, ut cum per quietem apparet missum a Jove visum. Fit anno XL, auctore Pollione suo, foedus Brundisium inter Octavianum et Antonium: et Vergilius, recens ab eræpto sibi paterno agello, mentis oculis videt illucescere diem, cum pueri Romani spectabunt «pendentem sentibus uvam»; clauditur post proelium Actiacum templum Jani: et, e poëta factus Daedalus, vult ponere propter

21. *Aen.*, VI, 662.

24. *Georg.*, III, 369-74.

27. *Rom.*, VIII, 22.

22. *Georg.*, I, 390.

25. *Ib.*, 323-24.

23. *Ib.*, III, 518.

26. *Ib.*, II, 299-301.

suum Mincium mirabile templum de marmore, ornatum foribus ex auro solidoque elephanto, quod tenebit Restitutor pacis in orbe, jam a populo Romano vocatus divino nomine Augustus. Somnium! Sed est aliquid a fraterna caede per tale somnium refugere. Vix post unum annum poeta se deferet mente et animo in fabulosam Aeneadam aetatem, ut, extra praesens tempus, memorante prima Musarum verecunda Clio, sempiternum edat documentum, quanti stet amor ferri et scelerata insania belli<sup>28</sup>. Ite nunc, agite per triduum triumphos, fortunati victores: humanissimum poetam totum tenet caesa juvenus. Deflendi omnes: alii plurima sagitta vulnerati, alii adverso pectore dura cuspide trajecti, alii foedis gladii ictibus deturpati; tuque, prae ceteris deflendus. Euriale, candide puer, cujus caput tum quoque quaerebant, implicitis in juvenali coma digitis, maternae blanditiae, cum hostes multo clamore gestarunt arrecta hasta praefixum<sup>29</sup>. Qui siccis oculis talia legat?

Atqui Vergilius non adhibet pungentes oculorum aciem colores, ut eliciat lacrimas, sed studiose religioseque molli tractu aurei penicilli illa et illa mulcet, quae suapte natura lacrimas jubent; non aliter orba mater, assidens confecta dolore mortuae puellulae, modo leniter tangit flexam pectine comam hinc et illinc in fronte, modo vocat amens, modo oscula figit in candidula manu; rorantur eius, qui adsunt, oculi. Sic voveris, Euriale, leto, et in umeros cervix collapsa recumbit, purpureus velut flos succisus aratro<sup>30</sup>. Tuque, Italiae decus, pharetrata Camilla, quam juvat tamquam Valchiriam incitare equum arrectis jubeis per auras, cujus telo cecidisse gloria victis fuit<sup>31</sup>, peribis, heu, per insidias obscuri militis Arruntis, vilissimi hominum, quem, sagitta trajectum divinitus immissa, exspirantem socii atque extrema gementem oblitum ignoto camporum in pulvere relinquunt<sup>32</sup>; sed te, Camilla, virginis amoris intermerata colens, quam multae frustra Tyrrhena per oppida matres optavere nurum<sup>33</sup>, talem poeta describit morientem, qualem maerens mater semper in memoriam esset revocatura:

*labitur exsanguis, labuntur frigida leto  
lumina, purpureusque quondam color ora reliquit*<sup>34</sup>.

O Pallantem Lausumque, egregios forma juvenes, sed quibus Fortuna negarat reditus in patriam<sup>35</sup>; alterum prima dies bello dedit, eadem aufert<sup>36</sup>, alterum fallit incautum pietas genitoris vario vulnere aegri<sup>37</sup>; alter occidit, patris sola et sera voluptas<sup>38</sup>, alter subit mucronem Aeneae, et sanguinem tunica bibit, quam molli mater neverat auro<sup>39</sup>. Atque ambos juvenes, pariter armis insignes et adversae fortunae objectos, sed qui alter ex altera acie

28. *Aen.*, VII, 461.

31. XI, 689.

34. *Ib.*, 818-19.

37. X, 812.

29. IX, 405-06.

32. *Ib.*, 865-86.

35. X., 454-55.

38. VIII, 581.

30. *Ib.*, 434-35.33. *Ib.*, 581-84.36. *Ib.*, 508.39. *Ib.*, 818.

pugnauerant, justissimus vates pari pietate parique laude prosequitur, nec timet cum Evandri filio filium Mezentii velut in diptycha tabella ponere, cum facit alterum per manus magni Turni, magni Aeneae alterum, eodem die morientes, et semel saltem humanos in victos victores.

Atque concidunt alii et alii utriusque aciei, nec umquam obliviscitur religiosissimus pictor sui mollis penicilli. Concidunt in Rutulis agris gemini Larides Thymerque, simillima proles, indiscreta suis gratusque parentibus error<sup>40</sup>; sternitur Argivus Antores, aureoque penicilli tractu describitur: «Sternitur infelix, caelumque aspicit, et dulcis moriens reminiscitur Argos<sup>41</sup>».

Sed multo saepius, praesertim post Pallantem peremptum, pietas videtur tota resultare, quasi fugiat indignata ex victoris impietate. Exinde enim, mutata tamquam converso cardine fortuna belli, alius factus Aeneas desaeuire toto in aequore victor<sup>42</sup>; proxima quaeque metere gladio<sup>43</sup>, juvenes rapere viventes, inferias quos immolet umbris<sup>44</sup>; jugulare reflexa cervice Magonem sua genua amplectentem<sup>45</sup>; Ligerim telo ejusque germanum mucrone transfigere «fratrem ne deserat frater»<sup>46</sup>; totum recondere in ilia Lausi gladium, quo plagam extremam impingere ejus genitori contenderat; atque, post caedem filii, eodem die infelix parare exitium patris. Aeger Mezentius acceptis vulneribus, trunco arboris acclinis crebro anhelat, multa super Lausum rogans, et mittit qui revocent proelio, cum flentes socii deferunt exanimem super arma, ingenti vulnere victum<sup>47</sup>. Tum vides miserum patrem se attollere in aegrum femur, exceptum equo onerare manus ambas jaculis, et aestuantem insania mixtoque luctu se dare praecipitem in medios hostes, alloqui equum, dementem; ter circum Aeneam adstantem laevos equitare in orbis, donec quadrupes hasta Aeneae tempora trajectus tollit se arrectum, et incumbit cernuus super effusum equitem. Denique, pressus pondere, increpitantem Aeneam mortemque minantem hoc unum orat, ut se consortem nati concedat sepulcro, juguloque haud inscius ensem accipit non minus impiii quam ignavi victoris<sup>48</sup>. O miserande senex, eodem die ab eodemque hoste tam crudeliter filio et vita privatus; sed, o fortunate, qui eadem non invidenda arte victus fueris qua maximus belli heros. Turnus! Turnus, alter Horatius Cocles, cum, postea quam hostibus in suis ipsorum castris unus obstitit, se demittit armatus in Tiberim, et ad suos revertitur; Turnus, Romanus Hector, quem gentes deflebunt, donec sol mortalia collustrare non desinet.

Mihi quidem cogitanti uter justius armis certet, Trojanus Aeneas, an Italus Turnus, saepe subit amara illa sententia Lucani<sup>49</sup>:

40. *Ib.*, 392.

43. *Ib.*, 514.

46. *Ib.*, 600.

49. *Phars.*, I, 126.

41. Cf. X, 781-82.

44. *Ib.*, 519.

47. *Ib.*, 842.

42. *Ib.*, 569.

45. *Ib.*, 523-31.

48. *Ib.*, 856-906.

*Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.*

Quae enim justior causa quam defendendae patriae? quae iniquior quam alienae invadendae? Quae indignatio rectius excusanda, quam regii juvenis qui regis filiam sibi destinata uxorem seque redamantem extemplo videat ab advena, aucto praeterea filio stipendia faciente, flagitari, quem ipsa ne noverit quidem?

Sed hic, Phoebus vates, aperit voluisse deos, ut positis bellis victores victique in unum populum coalescerent, per quem olim exsurgeret maxima rerum Roma, latura in orbem terrarum pacem<sup>50</sup>.

Verumtamen ad tantum opus conficiendum fuit necesse, ut lectissimi juvenes utriusque bellantium partis tamquam hostiae immolarentur. Ideoque hinc caeduntur Nisus, frustra strenuus defensor socii natu minoris; Eurta-lus, candida anima pueri; denique Pallas, «primitiae tantae laudis tantique laboris»<sup>51</sup>; illinc Lausus, infelix auxiliator cari genitoris; casta Virgo Camilla, et, hostia maxima, Turnus, non inscius vanum esse imparibus concurrere fati<sup>52</sup>, et tamen paratus descendere sancta anima ad manes<sup>53</sup>. Ac Vergilius, qua animi aequabilitate est, vehementiore pietate atque singulari laude ternas hostias honorat; sed prae ceteris Pallantis et Turni nomina commendat immortalitati. Itaque, non sine aliqua sui Romani animi significatione, tribuit Evandri fere totam belli laudem, utpote quae magis indigenam deceret inter lauros Palatini eductum, quam advenam Anchisiadem. Haec, ut videtur, non ultima causa est cur, statim a perempto Pallante, Aeneas, prorsus suapte natura mutatus, saeve impleque se gerat, tamquam praecipuum ejus munus sit, non tantum inferre deos Latio, quam filium Evandri ulcisci multa hostium messe, et in primis sanguine Turni. Postea, Creusae uxoris instar, tacite evanescet, nec quisquam umquam penetrabit obscurae ejus mortis arcum in limo fluminis Numicis sepultum.

Sed contra, quae sollemnia peraguntur in funere Pallantis! quae pompa, potius triumphi quam exsequiarum, cum molle feretrum ad domos et moenia Evandri effertur!

*Juvenem agresti sublime in stramine ponunt,  
qualem virgineo demersum pollice florem,  
seu mollis violae seu languentis hyacinthi  
cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit*<sup>54</sup>;

comitantur mille lecti ex agmine viri, ducuntur longo ordine Laurenti praemia pugnae; prae-eunt vincti post terga manus qui mittantur inferiae umbris; post feretrum bellator equus positus insignibus; tum, maesta phalanx, Teu-

50. XII, 820-840.

52. *Aen.*, XII, 149.51. PASCOLI, *Hymn. in Romam*, v. 431.53. *Ib.* 648.54. *Ib.*, 67-70.

crique sequuntur Tyrrhenique omnes, et versis Arcades armis: lucet via longo ordine facium, et late discriminat agros.

Sic Romanus Sigfridus effertur, Germano omnino praestantior, ni deessent, qui comitentur honorem, modi musici Vagneri, quos cum homines audiunt, it per corda tremor.

Quid autem de Turno? Potuit quidem prodigus panegyrista Romanorum consulum cadentis Imperii, Claudianus Afer, acerrimum Latii defensorem honore dignari non plus quam unius versus, atque hujusmodi generis: Pallantis jugulum Turno moriente piavit - Aeneas.

At Vergilius, Romanorum poetarum maximus idemque humanissimus omnium, fere totum reservaverat librum Aeneidos postremum victo Turno, quippe cujus fuisset munus

*tutari Italiam et detrudere finibus hostem*<sup>55</sup>.

Ut saepe in theatris, cum sub ultimum actum, conticentibus omnibus, sensim ac leniter hinc atque illinc tolluntur purpurea velaria e molli tonsis villis gausape, apparet in prospectu scaena subobscura ac deserta, inque ea solus, meditabundus, defixus obtutu humi, primarius actor, et ultro miserescit spectantium consessus, cum jam videant omnes extrema adversa in ejus caput imminere: sic, in exordio postremi libri Aeneidos, Turnus. Atque oborta pietas in initio actionis augetur deinceps in decursu; Turnus enim, cum semel prodiit in scaenam ineunte actu, in ea prope unus dominatur miserandas suas agens partes usque ad exitum, cum demittitur aulaeum in exanime corpus ingenti vulnere confossum. Quam magnus idemque deflendus Latii defensor maximus et frustra strenuus, in hoc suo et proprio libro! Jam infractis Latinis adverso marte, vides illum ultro implacabilem ardere et attollere animos; non Latini regis flectunt dicta, non lacrimae reginae Amatae, non «plurimus rubor» suae nec suae Laviniae. Poscit equos, quassat ingentem hastam vociferans demens:

*Nunc, o numquam frustrata vocatus  
hasta meos, nunc tempus adest*<sup>56</sup>;

jam fundit funera inter hostes, et socii incitati instaurant pugnam; sed parumper; ille incessu tacito progreditur ad aram, suppliciter demisso lumine veneratur: movent animos

*pubentesque genae et juvenali in corpore pallor*<sup>57</sup>.

Subinde praecipitant res: tum Rutulis et Latinis significat manu, ut quiescant a pugna, et simul magna voce: Quaecumque est fortuna, mea est;

55. Ib., VII, 469.

56. XII, 95-96.

57. Ib., 221.

et ardet congredi solus cum Aenea. Sic incipit horrendum illud certamen inter duos utriusque exercitus ductores. At juvenem paene imberem et fatali exitu belli depressum animo non vincet aperta virtute magnus Aeneas; sed sortitus fortunam oculis, sinistro telo deprehendit inopinantem, dum cunctatur spectans amens Rutulos et fumantia incendiis tecta Laurenti. Fatali telo ictus, concidit ille duplicato poplite ad terram; tunc demum, humilis, supplex, protendens oculos dextramque precantem, edit novissima verba:

*Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis  
tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis  
Anchises genitor), Daudi miserere senectæ  
et me, seu corpus spoliatum lumine matris,  
redde meis. Vicisti et victum tendere palmas  
Ausonii videre; tua est Lavinia conjunx:  
ulterius ne tende odiis*<sup>58</sup>.

At pius in supplicantem impius Aeneas: Te Pallas, vociferatur, hoc vulnere immolat, et poenam scelerato ex sanguine sumit<sup>59</sup>. Et facili ignavia condit ferrum adverso sub pectore morientis.

Sed quos immeritos fortuna dejecit, hominum pietas extollit.

Sic Romanus Hector victus victorem vincit.

ALOISIUS GUERCIO

---

58. Ib., 931-937.

59. Ib., 948.

# DE PORPHYRIO

(233 - 305)

In Porphyrii textu «Vitae Plotini» nonnulla verba mutanda sunt, cujus editio ultima nuper a R. Harder vulgata (1958, Felix Meiner Verlag, Hamburg) hic adhibetur; propono has lectiones:

c. 13 § 68 ἰδρῶς ἀπέθει *sudor (a facte) decurrebat*; codices scribunt ἐπέθει, ubi ἐπ injuria pro ἀπ ponitur (Henry - Schwyzer = H - S I 18<sup>o</sup>, 8).

c. 14 § 70 σύντονος cf. IAMBlichus, *Vita Pythagorae* c. 26 pg. 246 Kiessling (Lipsiae, 1815) συντεταμένος (H - S I 19, 1).

c. 14 § 70 φράζων μᾶλλον κατὰ συμπαθείας ἢ παραδόσεως ante comparationis ἢ particulam postulatur illud μᾶλλον et praepositione κατὰ (pro καιτο) modus docendi monstratur, quo Plotinus scribens utebatur; magis ut sibi conciliaret audientium animos quam certo more instituendi (H - S I 19, 3).

c. 14 § 71 οὐ γεωμετρικόν τι... οὐκ ἀριθμητικόν pro οὔτε codicum ante γεώμ... simpliciter οὐ posui, cujus particula finalis τε dittographiam sequentis syllabae γε (adjectivi γεωμετρικόν) format; quam ob rem posterius illud οὐκ non mutari licet; nam semper negatio monosyllaba (οὐ) in hac sententia legitur.

c. 16 § 81 συχνούς..., ἐλέγχους πῶς νόθον...; codices exhibent ὅπως, quod Wilamowitz falso in illud ὅπως Porphyrii modo dicendi contrarium invertit; Porphyrius enim numquam in *Vita Plotini* vehementer loquitur; propterea ipse numquam ὅπως scripsit, immo forma urbana πῶς usus est; quae particula enclitica ad συχνούς... ἐλέγχους trahenda est, ut «satis numerosae refutationes» intellegantur; scriba non jam illud πῶς hoc loco comprehendit et ὅπως finxit, quasi nova sententia inciperet; (H - S I 21, 15); sed ὁ est dittographia litterae anterioris sigma finalis.

c. 20 § 104 τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λόγιων (pro illo λόγων codicum) scripsi cf. EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica* 6, 18 (MIGNE PG 20, 560 B) φιλοσόφων τε τῶν μάλιστα ἐπιφανῶν οὐκ ὀλίγοι; etiam λόγοι sunt ἐπιφανεῖς (H - S I 27, 21).

c. 23 § 129 ἀγαθός γέγονε recte se habet, quia hoc loco oratio prosa, non dictio poetica (ut c. 23 § 128 ἀγανοῖο) adhibetur; ἀγαθός, ἡπιος, πᾶος. μείλιχος in hoc hymno non leguntur, ergo ἀγαθός in explicatione praestat.

Praeterea Porphyrius a culpa librarii Enneadum Plotini solvendus est; in hac editione ab Henry - Schwyzer confecta vol. 2 pag. 340, 39 οὐδὲ λεκτά spuria verba deleri oportet (*Enn.* 5, 5, 1); hoc in verborum ordine monstratur προτάσεις et ἀξιώματα non esse νοητά; nam recte intellegitur προτ... et αξιω... esse sensibilia, physica, corporea, ergo non νοητά; sed λεκτά e contrario sunt

νοητά, «entia» rationis, quae intellectu continentur; sunt igitur incorporea; propterea λεκτά non una cum illis vocibus superioribus pari vi conjungi possunt, quae res corporeas προτ... et αξιω..., significant; illud λεκτά vero a scriba verborum Stoicorum perito additum est, qui tempore non idoneo propriam scientiam Stoicam volebat ostendere; nam αξιώματα pertinent ad logicam Chrysippi et cum illo λεκτά ita copulantur, ut λεκτά iudicia interna in mente sita et αξιώματα iudicia externa ore jam pronuntiata accipiantur; propter hanc connexionem scriba haec duo vocabula αξιω... et λεκτά inter se conjunxit, sed erravit; ceterum προτάσεις sunt idem atque αξιώματα et nihil nisi propositiones vel iudicia, quae aut vera aut falsa sunt; πρότασις ab Aristotele usurpatur, pro qua voce Stoici eadem vi αξίωμα adhibent; eadem res ab utraque secta philosophorum aliter nominatur; hunc Plotini locum R. Harder in translatione germanica vol. 3 pag. 39 non intellexit et falso reddidit; non de «Praemissen», non de «Setzungen», non de «Ausgesagtes» agitur; Harder sicut alii permulti viri docti, λεκτόν non recte interpretatus est, quod apud Stoicos semper iudicium mentale, non orale valet; λεκτόν solum in intellectu residet, quapropter ασώματον vocatur; sensibus percipi nequit; non est conceptus, sed propositio interna et integra et eodem modo in duas species (completam - incompletam) dispertitur atque propositio externa oralisque αξίωμα; est enim completum λεκτόν (= dicibile, quod dici potest, sed nondum dictum est), quando subjectum et praedicatum simul adsunt; est autem incompletum, quando praedicatum tantum existit; propterea «autoteles» et «ellipes» distinguitur iudicium vel propositio. Porphyrius in «Vita Plotini» c. 18 narrat se libellum scripsisse quod demonstrare conabatur τὰ νοητά ἔξω τοῦ νοῦ ὑφ' ἑσθ' ἔχ' ἔχ' (intellegibilia extra intellectum existere); sed Amelius Plotino auctore eum refellit eique postremo persuasit νοητά esse solummodo 'intra intellectum; itaque consequitur ut recte dicamus neque Plotinum neque Porphyrium illa vocabula οὐδὲ λεκτά scripsisse, sed librarium sciolum injuria adjunxisse; de vocibus πρότασις et αξίωμα denique cf. GALENUS, *Institutio Logica* (a C. KALBFLEISCH, Lipsiae, Teubneriana 1896) pag. 4, 15, 20; praeterea PROCLUS, *In primum Euclidis Elementorum librum* a G. FRIEDLEIN Lipsiae, Teubneriana 1873), pag. 77, 3; 193, 18; 194, 1.

Praeterea in eadem Plotini editione ab Henry et Schwyzer parata has emendationes proponam:

vol. 1 pag. 119, 12 εἰ δὲ ζωή 156, 3 ἀπ' αὐτοῦ ἀναθεν γένοιτο 273, 13 ἐνταῦθα μὲν κινουμένη.

vol. 2 pag. 24, 2 τις ὁ τρόπος καὶ πόσος 85, 12 τις ἢ ἀρίθμησις 114, 32 τὰς δράσεις 446, 9 οἱ οὖν δὴ 470, 56 ἀλλὰ μᾶλλον ταυτὸν.

Postremo ad *Vitam Plotini* parvus textus est dignus qui ex codice Coisliniano 192 afferatur:

*Coislin 192 feuillet 51 verso:*

εἰς τὸ Εἰσαγωγὴ Πορφυρίου τοῦ Φοίνικος, μαθητοῦ Πλωτίνου τοῦ Λυκοπολίτου.  
ἡ Λυκόπολις ἐν Αἰγύπτῳ ἐστὶ · περὶ δὲ τοῦ Πλωτίνου εἶρηται τὸ  
οὐ πολλοὺς Αἴγυπτος . ἐπὶ δὲ τέχῃ, μέγα τίχτει.

περὶ τούτου (scil. Plotinu) λέγει καὶ Πορφύριος ὅτι: «Πλωτίνος ὁ καθ' ἡμᾶς ἐώκει  
μὲν αἰσχυρομένῳ ὅτιπερ ἐν σώματι ἦν. βουλομένων δὲ τινῶν ἀναθέσθαι αὐτῷ εἰκόνα,  
ἔφη: «ἀρκεῖ μοὶ τὸ ἐκ τῆς φύσεως εἶδωλον» (εἰδώλου τὸ σῶμα). «μηδὲ εἶδωλον εἰδώλου  
ἔχω» (εἰδώλου εἶδωλον τὴν εἰκόνα ἔφη. τοῦ γὰρ σώματος ἐστὶν ἐκτύπωμα). ἰστέον δὲ ὅτι  
τοῦ Πορφυρίου μαθητῆς ἦν Ἰάμβλιχος. περὶ ὧν, φημί τοῦ Πορφυρίου καὶ τοῦ Ἰαμβλι-  
χου. εἶπεν ἡ «Πυθία: ἐνθους ὁ Σύρος, πολυμαθῆς ὁ Φοῖνιξ.» Φοινίκα δὲ πολυμαθῆ λέγει  
τὸν Πορφύριον, ἐνθουν δὲ Σύρον τὸν Ἰάμβλιχον.

## Textus codicis Coisliniani 192 ita latine redditur:

«Ad illud (opus quod vocatur «Introductio» Porphyrii Phoenicis, disci-  
puli Plotini Lycopolitani. Lycopolis in Aegypto est. De Plotino hoc dictum  
est:

«Non multos (viros claros) Aegyptus protulit; sed si (quid) genuit,  
magnum gignit».

De hoc (Plotino) etiam Porphyrius id dicit: «Plotinus qui nostro tempore  
erat, similis erat homini, quem pudebat, quod omnino in corpore erat; sed  
cum aliqui simulacrum ei collocare vellent, «Mihī», inquit, imago e natura  
creata sufficit» (id est corpus). «Ne simulacrum quidem simulacri habeam»  
(simulacrum simulacri appellavit imaginem; nam corporis effigies est imago).

Sciendum autem est Porphyrii discipulum Iamblichum fuisse; de qui-  
bus, scilicet de Porphyrio et Iamblichō, Pythia dixit: «Numinis plenus (ἐν-  
thous) Syrus, multarum litterarum peritus Phoenix». Phoenicem quidem  
vocat Porphyrium multarum litterarum peritum, numinis plenum (ἐnthoun)  
autem Iamblichum Syrum.

R. Devreesse in lucem edidit «*Le Fonds Coislin*» (Paris 1945), ubi pag.  
166 codex 192 affertur qui comparisonem inter Porphyrium et Iamblichum  
praebet; majoris autem momenti est ibidem memoria Plotini adhuc ignotissi-  
ma; maxime ille versus hexameter οὐ πολλοὺς Αἴγυπτος. ἐπὶ δὲ τέχῃ, μέγα τίχτει  
Fragmentum ex Porphyrii libro, cui index est ἡ ἐκ λογίων φιλοσοφία videtur  
esse; nam ante istum versiculum commemoratur εἰσαγωγὴ Πορφυρίου... (disci-  
puli Plotini), unde suspicari licet Porphyrium introductionem in Plotini phi-  
losophiam seorsim edidisse praeter notissimam illam *Vitam Plotini* atque in  
ista introductione illum versum ex libro de philosophia oraculorum repetiisse;  
versiculi forma quidem adducor ut coniciam Porphyrium pluries ab  
oraculo Delphico de philosophis nuntios quaesivisse, praesertim cum Tyrius  
in «*Vita Plotini*» c. 15 § 75 ἱεροφάντης ipse laudetur; etiam Porphyrio atque

Iamblichus mortuis clarissimum illud oraculum saeculo p. Chr. n. quarto responsa docta edidit; in comparatione inter Porphyrium et Iamblichum prior πολυμαθής (similiter et Aristoteles) vocatur et junior ἐνθους (pariter ac Plato) aestimatur; textus apud Devreesse ad extremum (pg. 166) ita corrigi debet ἐνθουν δὲ Σύρον..., nam in codice recte illud δὲ, falso καί apud Devreesse.

Porphyrius ipse postremo hodie quoque dignissimus est, qui maximi iudicetur, nam et amplitudine scientiae et acumine mentis et facultate docendi alter Aristoteles tertio post Christum saeculo summo jure potest haberi.

AEMILIUS (EMIL) ORTH

# De papyro, libris, bibliothecis actisque diurnis Romanorum

Papyri usum Romani per diu ignorarunt. Ideo, cum quid majoris momenti notandum aut posteritati tradendum esset, in marmor vel metalla incidere solebant. Memento «legis duodecim tabularum» et «epitaphiorum» seu «elogiorum sepulcrorum». In plumbum vero exsecrationes et imprecationes in homines odiosos incidebant. Epistulas, pacta negotialia ac puerorum pensa stilo in tabulis ceratis exarabant; libros initio in membranis pergamenis confectis ex pellibus et pumice politis. Nomen est tractum ex urbe Pergamo Mysiae. Sed charta papyracea seu charta membranas pergamenas vicit, cum Graeci a saeculo VII a. Chr. cum Aegyptiis mercaturas facere coepissent.

Undenam vox papyri derivatur? Ex planta quadam «papyro», quae tantum in Aegypto circa Nili fluminis ostia crescebat. Habet caulem trigonam<sup>1</sup>, ad 8-10 m. altam, intrinsecus medulla optima refertam. Inde Aegyptii ab anno ter millesimo a. Chr. papyrum conficere consuerant. Quomodo id faciebant? Medullam in partes minutissimas dissecabant; tum recentes alias in alias sic imponebant, ut eae, quarum fila directa erant, in eas imponerentur, quarum fila erant aequa. Quo facto sine glutine prelo comprimebantur. Ipsae chartae diversae erant magnitudinis aut latitudinis. Sed pergrata Romanis forma «hieratica», tredecim cm. lata. Emporium autem, ubi Graeci papyrum ab Aegyptis emere solebant, prope urbem Byblum fuit. Inde vox Graeca: βιβλος.

Romani initio libros non habebant quales nos; sed chartas litteris inscriptas circum bacillum ligneum vel eburneum circumvolvebant. Inde «volumen». Postmodum autem opera majora in partes dividebant, quibus nomen «libri» imponebant. Si quis dives erat, libros pulchre exornari curabat. Audi Ovidii *Trist.* 1, 1, 5-11:

«Nec te purpureo velent vaccinia fuco...  
nec titulus minio nec cedro charta notetur,  
candida nec nigra cornua fronte geras...  
nec fragili geminae poliantur pumice frontes»...

Pulchri igitur libri erant et habiles ut Romani ad aquas Cumanas, Bajanas, Matticas profecturi, eos commode secum ferre posent. Nec magno constare

---

1. trigonus, triangular

solebant. Ita exempli gratia Martialis purpura religatus quinque tantum denariis, religatione autem vili 6-10 sestertiis.

Jam ad *bibliothecas* veniamus. Urbs Roma imperatorum aetate divitiarum, eruditionis et artium centrum erat. Ipse Caesar integram omnium Graecorum pariter ac Romanorum scriptorum bibliothecam condere eique Varronem virum doctissimum praeficere in animo habebat; morte autem impeditus est. Quod consilium Asinius Pollio exsecutus in atrio templi deae Libertatis primam condidit bibliothecam, cui Augustus binas publicas addidit. In his Diodorus, Dionysius Halicarnassensis, Nicolaus Damascenus, Pomponius et Strabo invenerunt unde opera sua eximia conficerent. Atque ductum exemplo Augusti imperatoris quivis dives romanus domum bibliotheca exornare et sic eruditione florere cupiebat. Inveniebantur quoque qui plures haberent; sed potius parietum decori quam mentium eruditioni inserviebant. Educator Gordianiani imperatoris sexaginta duo librorum milia habuisse dicitur. Quin etiam in domo simplici hominis privati urbis Herculani mille et septingenta volumina sunt inventa. Saepe accidit ut ejus aetatis culturam non tanti aestimamus quanti oportet. In solis provinciis Africanis ad trecentas urbes florentes numerabantur cum basilicis, thermis, theatris et porticibus. Nec difficulter intellegitur. Etenim provinciae cum Urbe certare volebant. Numerate quaeso urbes, quas Romani in Hispania condiderant. Mentionem faciam bibliothecae clarissimae Alexandriae, quae septies centena milia librorum continebat?

Quomodo autem auctores opera sua *publicabant*? Recitabant primum inter amicos et, cum placebat, coram populo in foro vel theatro. Atque cum omnibus opus erat gratum et acceptum, describendum curabant. Incredibile enim litterarum studium ubique flagrabat, eo quod Augustus res politicas tractare vetuerat. Jam cum usus libros imprimendi esset incognitus servi docti eos multiplicabant. Quivis civis romanus opulentus et quaelibet domina romana recitatores et librarios (qui describebant) habebat; bibliopolae<sup>2</sup> vero plurimos. Primus quem novimus bibliopola Pomponius Atticus fuit, vir magnae eruditionis nec lucri cupidus, familiarissimus Ciceronis, qui haud pauca ejus opera foras dedit, et ad quem Cicero plurimas dederat epistulas. Atque Atticus, cum Italia continuis perturbaretur bellis civilibus, relicta Urbe Athenis sedem fixit.

Imperatorum aetate multae *librariae*<sup>3</sup> seu tabernae in Urbe fuerunt quarum celeberrimae Sosiorum fratrum, Typhonis et Cottae. Qui sibi laudi ducebant solos libros optimos et exacte exaratos in lucem edere. Librariarum murus primarius —ut et hodie fit— libris recenter editis exornabatur, quibus

---

2. Bibliopola, *librero*.

3. Libraria seu taberna, *libreria*.

qui emerent allicerentur. Ipsae librariae omnibus quasi aulae patebant. Eo homines eruditi convenire solebant; hic libri novi recitabantur et percensebantur; hic quoque si quid novi esset publicatum, interrogabatur. Atque bibliopolae, quae in Urbe vendere non poterant, ea alibi divendere studebant. Quin librariae celebres in multis imperii urbibus tabernas auxiliares habebant.

Viget hodie lex, qua *prohibetur* ne liber editus a nullo ante annum tricesimum exactum sine venia auctoris iterum typis imprimatur. Quae lex tunc temporis ignota erat. Cuivis libros omnes describere licebat; interdictum tantum erat, ne quis aliena pro suis aut recitaret aut foras daret. Idcirco bibliopolae tot cujusque libri exemplaria edere solebant, ut in omnium, qui desiderarent, manus facile venire possent.

Ne putemus defuisse *ephemerides*<sup>4</sup>, quamvis sero in lucem edi coeptae sint. Caesar, qui in omni re plurimum valebat, anno LIX a. Chr. «acta diurna» edenda curavit. Continebant majora rei publicae negotia, summorum officiorum itinera et ea quae postmodum in domo imperatoria fieri solebant: natalicia, exsequias e. i. p. Praeterea novitates: terrae motus, Vulcanorum eruptiones et quae a privatis actorum praefecto data erant publicanda partus, matrimonia, divortia, decessus, ut et hodie fieri solet. Acta interiisse videntur cum Constantinus imperator anno CCCXXX p. Chr. imperii sedem in urbem Byzantium transtulit.

Quid autem de tot praeclaris bibliothecis est factum? Collapso imperio perire. Nisi Cassiodorus, Vivarii monasterii praefectus, primus plurimos libros per monachos suos describendos curasset nec posthac permulti in Europa monachi opus improbo et indefesso per saecula labore continuassent, nihil fere litterarum antiquarum, unde erudiamur, ad nos pervenisset.

N. MANGEOT, S. J.

---

4. *Ephemerts, periódico*

# Andreae Avenarii de studio linguae latinae adnotatiunculae

I. Superiore anno, adventante quinquagesimo sacerdotii mei anniversario, ut majora subterfugerem incommoda, horum moderatori commentariorum spem feci sermonis, quod ipse partim tenuissem partim tenendum censerem iter in scientiam usumque linguae latinae, rei pulcherrimae, quam multi hodie in aliis admirarentur, sibi ipsis, nisi sex hebdomadarum spatio addisceretur, non necessariam esse statuerent. Igitur, quoniam turpe est non stare promissis, de ratione obtinendi civitatem latinam pauca cum modestia, ut qui nesciam simne ipse illa civitate donatus vel donandus, eloquar.

Consulto dixi supra «sex hebdomadarum spatio», quia non semel legi pollicitationes, quibus ignari homines invitabantur, ut tam brevis temporis impendio hanc vel illam linguam nova et divina prorsus methodo compararent. Neque nego diligentem hominem sex hebdomadis elementa grammaticae alicujus linguae posse cognoscere, linguam discere sex hebdomadis pernego. Nam qui fieret, ut ego ipse vel mei similes non omnino plumbei, sed assidui cultores «linguae basilicae», post sexaginta et amplius annos attentionis unamquamque paginam majoris alicujus lexicum testem habeamus ignorantiae, si non omnium verborum ibi expositorum, sed inscientiae multiplicis usus et significationis singulis vocibus subjectae. Quinque columnis Georges, lexicographus Germanorum celeberrimus, exemplis ex antiquorum libris collectis demonstrat praepositio *a*, *ab*, *abs* quid possit significare. Forcellinius idem praestat columnis sex typographicis. Hic tu qui haec legis, tempta, quot tu domi habeas illarum notiorum, quae illa praepositione, quae est *a*, praepositâ nominibus in mentibus incolarum Latii ultro nascuntur. Ego certe illum denique fatebor nosse linguam latinam, cui loquenti vel scribenti facile expediteque ex ea copia et quasi thesauro linguae voces ultro subeant.

Non paucos mihi invenias, qui ardentis oratoris argumentis constricti intellexisse videantur rem tantam, tamque utilem, tamque necessariam sibi in primis cordi esse oportere et primos tentant gressus; sed furfure expleti aliarum disciplinarum et ea ducti cura, ut sana mens sit in sano corpore, cinemati etiam et, ut est saeculum, teleoramati indulgentes rem laboris et constantiae malunt relinquere aliis: non posse omnes excellere in rebus omnibus.

Alii sibi videntur scire linguam latinam, quod tot annos in ludo latino contriverint et textus liturgicos intellegant, quibusdam saepe, quos intellegat nemo, exceptis. Sed quia iis cerebrorum eorum partibus, ubi sedes est linguarum, nihil novi adhaerescit, illi, si forte vocem protuleris non peritam ex eorum clauso numero, tibi vitio vertunt obscuritatem linguae et nimium te classice tortuoseque loqui.

Ego vehementer assentior illis qui aperte dicunt ad rem non subsicivam se applicare, quibus propositum sit linguae latinae scientiam et usum comparare. Rem hos moliri nunquam intermittentis industriae, in qua usque ad finem vitae labores propterea, tametsi multum profeceris, semper, quae addiscere, quae perpolire possis, supersint.

Sed jam ad propositum accedam, ut dicam, quae mihi in provinciam latinitatis contendenti utilia videantur. Patieris me, ut loquacem senem, commemorare etiam quae ego ipse puer mihi putaverim ad sermonem latinum discendum suscipienda. Nam admodum puer rem indignam et non ferendam esse putabam me non intellegere, quae sacerdos in ecclesia caneret vel pronuntiaret latine. Cui malo ut mederer, cum veterem et parvulam grammaticam latinam a bono homine, nescio quo, accepissem, quinque declinationes et primam conjugationem docente nullo delibabam, et quaedam memoriae mandabam nomina. Quodam anno, die Purificationis Mariae Virginis, memini me canente parcho evangelium intellegere «columbarum»; nam locus erat: «par turturum aut duos pullos columbarum». Ah, inquam, hoc 'columbarum' est genetivus pluralis substantivi quod est «columba, die Taube». Ergo aliquid latinum intellectum erat. Tum temporis —abhinc annos sexaginta sex— latina etiam non intellecta anteferebam vernaculis, mirabarque non ita linguas consonare, ut pro verbo teutonico poneretur latinum: neque enim poterat esse «introibo» scilicet: ad altare Dei, «*Ich will hintreten zum Altare Gottes*». O, quam illis mensibus mihi opus fuisset paedagogo latine docto! Et habuissem certe, nisi jam puer tam fuisset verecundus. Postea, cum receptus essem inter discipulos grammaticae Steylenses, jam primo secundove anno in manum venit mihi exemplum pervetustum ejus libri qui Horae Diurnae inscribitur, laxis operculis et mutilus introductoriiis foliis; prima paginula offerebat psalmos laudum dominicalium. Ex eo libello detricto et cotidiano pressu digitorum sordido discebam viventem in Ecclesia linguam latinam ex magistro liturgiae amanti quaerens, ubi occurrerat verbum mihi non notum. Tribus fere annis post a quodam discipulo breviarii emi minimo pretio tomos quattuor, quibus, quantum per studia licebat, usus, et pietatem et linguam latinam, velut e floribus mel apis, trahebam.

Subrisi septuagenarius fere, cum inter patinas e quadam vita S. Petri Canisii lectum est: Petrum et condiscipulos linguam latinam didicisse e solutis foliis librorum gradualium.

Non igitur est cur mireris, si confirmem desperare me de informatione ecclesiastica puerorum, quos non pudeat inde a secundo anno studiorum recitare vel cantare latina, quorum illi sensum non magis perspectum habere curent quam anites et psittaci. —Est in animo in medio ponere quae in ipso studio linguae latinae observanda censeam.

II. Jam dicam quae cum spe boni successus observari ego censeam ab illis, quibus in animo et voluntate sit linguam latinam addiscere, narrando quae me ipsum adulescentem in eo genere plus minus meminerim fecisse.

Steylenses pueri diebus Jovis scholis liberis ducebamur longioribus binarum et ternarum horarum exitibus in loca Steylae vicina. Quodam die, cui casu sociatus eram condiscipulus —eramus tum quartae classis sodales— «Loquamur hodie, inquit, latine». Quod ille per jocum dixerat, non adeo serio; sed coepimus latine loqui totoque illo itinere locuti latine sumus, in fine paulo, quam consuessemus, fatigatiores, sed re ipsa experti id fieri posse, a nobis fieri posse. Et comes quidem ille, ad rhetoricas exercitationes quam ad latina colloquia propensior, postea non mecum descendit in campum latinitatis, sed declamabat. Ego alios invitabam ad inchoata semel colloquia et inveni, quocum per omnes studiorum annos statis atque non statis horis collocutus sum de rebus maxime diversis et expedita satis lingua. Is socius nunc octogenario major in Philippinis Insulis vivit, illocana lingua optime, et linguis anglica et hispanica et gallica et germanica perbene doctus.

Ceterum eo tempore et postea munienda ad linguam latinam via erat eo praecepto, quod nonnullis annis post sic solebam enuntiare: «Si vis cognoscere linguam: multum lege, plus scribe, semper loquere». Semper ut loquerer, jam latine, quae tam multa per diem nihil cogitantes vel vernacula usi lingua exsequimur, eadem solus vel me facere dicere, vel tamquam praesenti alicui narrare institui, eo fere modo, quo infantes linguam balbutiunt et exercent. Quae verba in illis puerilibus sermonibus deerant, vel lexicon suppeditabat vel a bono magistro quaerebantur. Sic nullo negotio obtentum est, ut sermo patrius magis et magis excluderetur neque jam, quae dicenda erant converterentur ex sermone nativo, neque saepe quaereretur: Quid est latine hoc vel illud? quia jam latine conceptum promebatur.

Jacens in lectulo, ubi somnus nocturnus erat tardior, quibus rebus circumdabar, quas res in sublustris umbra dormitorii conspiciebam, tignorum in triangulos commissuras, colores rerum, e clavis pendentia indumenta, cultus corporis utensilia, cuncta tacitus appellabam latinis nominibus.

Quae alii garriebant teutonice, vel quae in scholis narrabantur ego recogitare statim latine conabar. Sacras preces, quae materna dialecto proferebantur, ego interdum latinis verbis dabam operam ut subsequerem.

Quem tu mihi hodie invenias aequae insipientem? At ego putabam illis annis eis, quibus non liceret ad discendam linguam latinam in aliquam latinam provinciam commigrare —quemadmodum, qui gallice loqui cupiant,

loqui discant vel Gratianopoli vel Parisiis, ibi saltandum, ubi sibi Rhodum constituissent—, linguam autem latinam quovis pretio comparandam esse.

Sed non loquendo tantum loqui discimus, multa praeterea etiam scribenda censebam: nam, quas difficultates in loquendo facilius circumnavigamus, eae scribentibus fortiter aggrediendae et superandae sunt. Itaque paucis complectar, quid a me factum in eo genere recorder. Principio codicillum in mensa posui, cujus in foliis continuo scribebam, quae legenti et interpretanti scriptores videbantur nova esse vocabula et elegantiores conformationes sententiarum, quibus et ipsi in consuetudine cotidiana uteremur. Codicillos nunquam fere relegi postea; sed credo ista ipsa ratione scribendi hoc me assecutum esse, ut facile triticum a palea discernam, quid sonorum, quid latinum sit, facile agnoscam. Postea retentis isdem fere verbis dicebam recentiora circumponens proprium sensum. Quod quale fuerit uno disce exemplo. Lege verba in trigesimi capitis primae Catilinae orationis quae sunt: «Nunc intellego, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur». Eadem ego transferens in fugitivum aliquem discipulum haec pronuntio: «Martinus, si, quo intendit in patriam et ad suos pervenerit, nemo tam stultus erit, quin fateatur hoc illum diu cogitasse ante». Sic in re nova color servatur Ciceronis, sed multo latius atque expressius, quam hoc fortuito exemplo est a me factum. Fuerit hic ludus, neque, quam sit utilis ad exercendam linguam, digladiator.

Sed valde prodesse contendo cotidianas vel quinarum linearum scriptiones in ephemeride. Scribere in ephemeride coepi latinis verbis, quae eo die accidissent laeta aut tristia, quid tum animi esset, quid valetudinis, neque ibi infitias sic sermonem nostrum torqueri in maximam rerum varietatem. Scribendi porro persequens ad discendam linguam utilitatem jam adulescens constitui ad illos qui intellegerent, litteras non dare nisi latine scriptas, quae si essent conservatae unoque collectae volumine, Ciceronis ad Atticum epistularum numerum aequarent, et certe ostenderent quid in eo genere amor latinis attingere possit etiam in adulescentia tenuioris ingenii.

Ad extremum mirum profecto esset, nisi exemplo majorum et hortatu magistri temptassem facere versus imitando Horatium quem in schola legebamus, neque existimo, quod in eo genere collocaveris tempus, perditum esse. Nam in faciendis versibus occupati cogimur experiri nostram verborum inopiam et observare prosodiam, missam facere omnem vanam scientiae nostrae opinionem. Relinquam moriens ad quadraginta odas, temptamina poetica mea.

Reliquum est ut illud quoque commemorem, qua steterim praecepto meo, multum ut essem in scriptoribus, quae scilicet legerem et quo legerim modo. Sed revertar ad hunc locum alias. Erit eadem, quam hactenus legisti, exilitas.

# GRUES IBYCIANAE

CARMEN A SCHILLERO GERMANICE SCRIPTUM  
IN LINGUAM LATINAM CONVERSUM

*Vatibus, aurigis Isthmo celebranda Corinthi,  
Quae jungunt hilares Grajas certamina gentes,  
Ibycus ecce petit, Dis carus, dote canendi  
Quem dulci ore mele fundens ditavit Apollo.  
Region egressus baculum vibrans leve vates  
Carpit iter laetus Latoi numine plenus.*

*Alta viatorem de celso vertice montis  
Acrocorinthus tandem oculis conspecta salutat.  
Mox horrore pio trepidans pineta penetrat,  
Quae sacra Neptuni. Res circum nulla movetur  
Nec comes ullus adest nisi supra sole tepentes  
Agmina cana gruuum terras propiore adeuntum.*

*«Vos mihi», clamat, «avete, catervae semper amicae,  
Quas habui comites vectus super aequoris undas!  
Omina vos ergo accipio felicia caeli.  
Est nam dissimilis nequaquam sors mea vestrae.  
Terris e longis venientes hospita tecta  
Quaerimus! Opprobrium peregrinis arceat hospes».*

*Accelerat gressus alacer, mediumque pererrat  
Jam nemus, impediunt iter arto ponte latrones  
Ecce repente duo! Pugnae se cingere oportet  
Continuo vatem; nec longum tempus ab armis  
Delassata manus cessat, nam saepe tetendit  
Chordas illa lyrae tenues, non robur et arcus,*

*Auxilio tum mortales divosque vocavit,  
Nec tetigere preces qui ferret opem! Procul utque  
Jactasset vocem, non res visa est animata!  
«Hac aliena igitur solus tellure relictus,  
Infletus moriar? Malefactorumque scelestis  
Interimar manibus, cum nusquam appareat ultor»?*

*Ictus deinde gravi procumbit vulnere. Pennis  
Et crepuere grues. Audit — spectare valebat  
Jam nil namque acie— pavidum prope clangere voces.  
«A vobis, sublime grues illic volitantes  
Teste negato alio, caedis vindicta petatur»!  
Clamat et extemplo caligant lumina morte.*

*Corpus post nudum reperitur! Vulnere voltus  
Ut sit foedatus, tamen ora Corinthius hospes  
Actutum tam cara sibi cognoscit amici.  
«Talem ego te invenio? Plexa qui posse corona  
De pinu me sperabam redimire poëtae  
Tempora, praeclaro famae splendore decori»?*

*Non sine luctisonis rem discunt vocibus omnes  
Quotquot Neptuni sollemnia festa frequentant.  
Immensoque omnis demersa est Graecia luctu  
Nec sinus est illum qui non doleat sibi ademptum.  
Inruit et plebes poscens furiosa Prytanes  
Occisi manes homicidae sanguine placent!*

*Ast quod vestigium tot in ingenti populorum  
Et spisso fluvio, quos allicit undique splendor  
Ludorum, percussorem designet atrocem?  
Ignavi fortassis eum caesere latrones?  
Invidus an transodit eum latitans inimicus?  
Dixerit hoc nemo nisi lustrans omnia Titan.*

*Nunc medios vadit per Grajos forte superba  
Mente, sui truitur fructus scelerisve quietus,  
Supplicio conquirat eum quo tempore poena.  
Obstet Dis ultro fors ipso limine templi,  
Illis quin hominum vel sese immisceat undis  
Quae volvuntur ibi porro, quaeruntque theatrum,*

*Quo modo sede sedent Graji posita prope sedem  
—Suggestus credas iam paene statumina frangi—.  
Expectatio habet late longeque projectos  
Fluctibus et similes commiscent murmura ponti.  
Jam conferta viris lato curvamine moles  
Amplius usque patet, caelique in caerula surgit.*

*Hos quis tot populos numeret, quis nomina dicat,  
Huc qui fluxerunt iure hospitii sociandi?*

*Aulidis ex oris, ex Phocide, Theseos urbe,  
Ex Lacedaemoniis, Asiaeque a litore longo  
Insula ab omni etiam, podium venere prementes  
Auscultare chori modulos horrore repletos,*

*Qui nunc antiquo ritu gravis atque severus  
Procedit tarde, curvum legit atque theatrum.  
Non sic terrigenum genus incedit muliebre!  
Non sunt progenitae terrenis aedibus illae!  
Haec immanis enim mensurae corpora longe  
Exsuperant infra et quaecumque humana relinquunt.*

*Nigra lacerna ferit lumbos, nudis quatiuntque  
Carne facum digitis rutilum, dirumque nitorem.  
Harum nulla rubet perfuso sanguine mala!  
Qua gratique volant, qua jucundeque capilli  
Ludere fronte solent mortali, terga colubros  
Serpentesque vides iactare tumentia tabo.*

*Horrisonum nunc incipiunt gyros peragentes  
Cantum, pectora qui penitus percussa penetrat  
Et laqueos stringit circum corpus sceleratum.  
Eripiunt mentem, fallunt et corda canendo  
Dirae, consumunt auditorisque medullas;  
Non resonare tamen sonitum citharae patiuntur.*

*«Felix qui puero similis mens intemerata  
Servetur noxis, nobis accedere ad illum  
Est furis vetitum. Talem per tramitem abire  
Vitae nos sinimus librum. Vae, vae tamen illi,  
Qui clandestini sibi conscius est homicidi!  
Ejus adhaeremus plantis stirps horrida noctis.*

*Declinare fuga cum se putet, adsumus alis  
Allatae, pedibus properis circumdare nexus,  
Cogatur quibus in terram procumbere pronus.  
Indefessae agitamus eum, nec mente movemur  
Mutata, quoad infernas descendit ad umbras,  
Illa nec regione quidem non desumus illi!»!*

*Haec dum verba canunt, notam duxere choream,  
Perque domum totam repsere silentia mortis,  
Non secus ac numen divinum propter adesset.  
Antiquo ritu, sollemniter atque per orbem*

*Gressibus incedunt tardis dignisque theatri  
Ex oculisque abeunt in scaenae deinde recessum.*

*Pendet adhuc medius veri fictique tremiscens  
Unusquisque, illam potestatem veneratur  
Terribilem, quae clam vigilat, vindexque parata est.  
Semper inexplorata manens semperque profunda  
Confusum sati glomus haec convolvit et imo  
Pectore sentitur, solis tamen effugit ignem.*

*Tum vero necopinato clamare per aedes  
Ordinibus vox est cuiusdam audita supremis:  
«Ecce grues, o Timotheus, nempe Ibyciana!»  
Obtegiturque simul velut atris nubibus aër  
Et sublime gruum praetervolitare theatrum,  
Nigra caterva movens pennas, conspicitur agmen.*

*Ibyciana? Ut tam carum nomen memoratur  
Unumquodque novi pectus transire dolores.  
Ut sequitur fluctus fluctum cita quaestio ab ore  
currit ad os: Fletus numne Ibycus ille, nefasta  
Transfixusque manu? Quid agit? Quid vult sibi clamor  
Ille viri? Quid et illa gruum tandem sibi turma?*

*Majore interea facto clamore rogantum  
Omnibus en animis suspicio fulguris instar  
Incidit: Haecce, cavete, ajunt, est Eumenidum vis  
Nunc ultura pium vatem! Se namque homicida  
Tradidit ipse! Virum, qui verba est illa locutus  
Prendite, prendite eum cui designata fuere!*

*Ille libens quae lapsa suo modo senserat ore  
Pectore festinus vult verba recondere in imo!  
Sed frustra! Sua nam vepallida, nec mora, produnt  
Criminis ora reos! Confestim in jus rapiuntur,  
Scaena tribunal fit, malefactoresque latentur  
Iudicio facinus, vindictae fulmine tacti!*

## D U A E     R A N A E

*Aesopus rebus perturbatis Graeciae  
 Cum nulla spes salutis illucesceret  
 Hac est fabella consolatus rusticos.  
 Duae priusquam ranae nare didicerant  
 Prolapsae in lactis flore completum cadum  
 In condicione plane erant miserabili.  
 Ac timidior quoniam natura una erat,  
 Animum despondens fudit fletus lugubres  
 Ululavit atque tristis: «Vae miserae mihi  
 Ex rebus his turbatis nullum effugium erit.  
 Est actum de me! Frustra quid temptem fugam?  
 Ad hoc erit mors olim ineluctabilis!»!  
 His dictis mansit sub liquore et mortua est.  
 Longe alteri diversa cum esset indoles  
 Eadem formido licet et inscientia  
 Natandi, clamat: «Egone mortem hic oppetam?  
 Minime! Sed hinc confestim sinite prodeam!»!  
 Agitare coepit actutum artus strenue,  
 Spumare fauce et flare magnis cum sonis  
 Dum mixtus et concussus per violentiam  
 Butyro subito lactis flos mutatus est,  
 Et rana incolumis saluit in terram aridam.  
 Fortuna namque potius fortes adiuvat!*

## HILARIS ET TRISTIS

*Spectabat hilaris una cum tristi rosas,  
 Ac tristis infit ingemiscens: Ut piget  
 Acutas semper spinas misceri rosis!  
 Subridens hilaris cui quietus reddidit:  
 O mira bonitas quae disposuit res ita  
 Ut pulchra crescat semper prope spinas rosa  
 Regina florum quae formosa est omnium.*

## DUPLEX RERUM ASPECTUS

*Facies diversas omnes retegunt res fere.  
 Hanc veritatem duo vicini praedicant.  
 Unus cum peteret urbem eluvies fluminis  
 Ascenso tecti considens fastigio  
 Tranquilla accendit mente fumisugium.  
 Eadem re coactus cymbam dum parat  
 Fugae daturus alter se iam fluctibus,  
 Oculos sessorem attollens vidit, culminis.  
 «Ut dant se, clamat, res tibi celso loco?»  
 Brevi moratus hic retracta fistula  
 Postquam expuit, respondit: «Hoc pro tempore  
 Haud male!» Deinde pergat fumos sugere.  
 «Rapuerunt omnes mihi gallinas gurgites»,  
 Receptit nauta tristis sermonem ingemens.  
 «Meas item! quid refert?» inquit, «paucae erant!  
 Et enatare contigit certe anatibus!»  
 Tum contis udam sumptis carpturus viam  
 «Fenestras», alter monuit, «iam tangunt aquae»!  
 Prior subsiliens pernix in fumarium  
 «Lavationis, reddit, iam dudum indigent».*

## AFER ET PSITTACUS

*Afer tabernas praeteriret cum Novi  
 Eboraci, ubi parantur illa animalia,  
 Quae magnis in deliciis mortales habent,  
 Sedere vidit psittacum pro janua  
 Constrictum fune ad perticam crure altero.  
 Hunc ut spectaret, postquam accessit, proxime  
 Animo stupens, en subito flectit plumiger  
 Ad eum se voce rauca dicens: «Heus quid est  
 Quod hic requiris? Quid tibi hic negotii?»  
 Tunc resiliens et capite aperto vir probus:  
 «Ignosce, Domine, balbutit, quaeso mihi!  
 Avium te generis esse falso credidi»!*

## PUER PROVIDUS

*Natalem mater celebrans filioli diem  
 Aequalium vocavit ad convivium  
 Vicinitatis laetum puerorum gregem.  
 Erat Vellelmus hoc in numero parvulus.  
 Hic quantum honoris scitus tribuerit puer  
 Uvis, placentis, malis, nucibus, crustulis  
 Prorsus superfluum videtur proloqui.  
 Nam pro virili parte studuit pusio  
 Eo transferre cautus res lautas loci  
 Ubi profuturas sibi putabat maxime.  
 Ut ergo amice et ridens monuit hospita:  
 «Cape iam, Vellelme, si quid gratum est amplius»,  
 Respondit is: «Benigne, sum plane satur»!  
 Et prosecuta est comis bonaque femina:  
 «Vestis proinde fundas stipa crustulis  
 Et pomis, quae gustabis cum repetes domum»,  
 Mellitus tota radians facie homunculus:  
 «Benigne, Domina, fundae sunt saturae quoque»!*

## MACHAIRODUS

*Atrocitas devincitur pulchro ordine,  
 Demonstrat hoc natura in prisca belua.  
 Docti serunt olim fuisse animal ferox  
 Quo tellus tulerit post nihil pugnacius.  
 Tales protrusit fauce dentes improba  
 Acinaces duos ut illos crederes.  
 His sine labore quas crearat bestias  
 Tellus, transgredit haec immisericors fera.  
 Belli a natura immaniolem machinam  
 Machairodonte genitam nullam existimem.  
 Sed periit postquam mitiores res erant.*

*P. Benedictus SCHMIDT*

# DE CENA ET PRANDIO APUD ROMANOS ET APUD NOS

—Nos in schola latine loquimur—

Quoniam vos, adulescentes, ea quae ad esculenta et poculenta<sup>1</sup> spectant maxime oblectant, nonnulla de nostris ac de Romanorum cenis vobiscum colloqui statui.

Romani, ut scitis, primo mane e lecto surgebant. Liberi, clientes, servi, orto sole, parentes dominosque salutabant. Deinde ad horam tertiam, i. e. hora fere septima aestiva nostra aut nona hiberna, jentaculum<sup>2</sup> —levem et facilem cibum— sumebant, quod ex pane intincto butyro<sup>3</sup> vel melle constabat, aut caseo, olivis, dactylis<sup>4</sup>. Postea solidus decurrebat dies quo varia agitabantur negotia.

Meridie, hora fere septima, ad prandium accedebant in quo oleribus, fructibus, pane vinoque —interdum piscibus et carne— parce tamen et sobrie vescebantur.

Deinde animum recreabant, meridiationem<sup>5</sup>, exercitia gymnica —in quibus pila, follis, trigon<sup>6</sup>— et corporis lavationem<sup>7</sup> in publicis vel domesticis balneis<sup>8</sup> peragebant.

1. ESCULENTA ET POCULENTA [*comidas y bebidas - aliments et boissons*]: sunt res esui et potui aptae.

2. JENTACULUM [*desayuno - petit déjeuner*]: dicitur etiam *silatum*, ut apud Vivem legitimus (*Exercitatio linguae latinae; Refectio scholastica, Opera omnia, I, Valentiae, 1782, p. 285*): «*Silatum nostrum est frustum panis autopyri et paululum butyri*».

3. BUTYRO: «butyrum» [*manteca - beurre - burro*]: 'spuma lactis sero concretior et multa agitatione pinguior' (FORCELLINI, s. v.).

4. DACTYLIS: «dactylus» [*dátil - datte - dattero*], ita appellatus quia oblonga gracilitate digitum referre videtur; dicitur etiam «*palmæ fructus, palmula, caryota*» (Cfr. PAL. LAT., 2 (1951) 33-34).

5. MERIDIATIONEM: «meridiatio» [*siesta - sieste - siesta*]: est 'quies et somnus meridianus'.

6. TRIGON: pila parva, dura, firmo pilo facta, qua in balneis pueri ludebant; nomen inde ductum quod tres ludebant et ita distribuebantur ut trigoni seu trianguli figuram efficerent.

7. CORPORIS LAVATIONEM [*baño - bain - bagno*]: adhibetur a Plauto, a Cicerone, a Celso: «*Lavatio calida et pueris et senibus apta est*» (*De medicina, 1, 3, [p. 5, 35]*).

8. BALNEIS [*baño - bain - bagno*]: «*balneum, balineum*» saepius de domestico balneo —de loco in quo corpora veteres lavabant— dicitur; «*balnearum*» autem nomine 'balnea publica' veniunt.

Hora vero nona vel decima praecipuum cibum seu cenam summebant; quae initio pulte<sup>9</sup>, oleribus, pauca carne constabant; sed postea sumptuosior facta est et haec fere continebat: gustationem<sup>10</sup> seu promulsidem, in qua lactucae<sup>11</sup>, brassicae<sup>12</sup>, napi, cardui<sup>15</sup> seu cinarae, asparagi<sup>14</sup>, olivae, conchyli<sup>15</sup>, pisces saliti, ova durata<sup>16</sup> cum mulso<sup>17</sup> —i. e. vino melle admixto— afferi solebant: eaque, quod et vos probe nostis, cibi appetentiam faciebant. Deinde fercula<sup>18</sup>, quae prima, secunda, tertia cena vocabantur: in his erant pisces, caro —porcina<sup>19</sup>, vervecina<sup>20</sup>, haedina<sup>21</sup>—; pullus gallinaceus<sup>22</sup> et venatio —ut lepus, perdix, aper—, eaque cinnamōno<sup>23</sup>, petrosilino<sup>24</sup> aliisque herbis condiebantur.

Postea secunda mensa in qua poma, uvae aliique fructus recentes et conditi<sup>25</sup> proferebantur, liba<sup>26</sup>, placentae<sup>27</sup>, cetera. Sed haec sane quibus fortuna opes abunde dabat; nam multi paucioribus contenti esse debebant cibis.

Qui vero luxuriose vivebant in multam noctem comissionem<sup>28</sup> protrahebant, in qua vino maxime indulgebant.

In cottidianis cenis paterfamilias vel mensae assidebat, ut prioribus Romae temporibus, vel, quod frequentius, in lecto tricliniarum cum amicis et convivis discumbebat; alii vero vel juxta eum vel in subselliis assidebant.

9. PULTE: «puls» [*papas, gachas, polenta - bouillie de farine*]: est 'genus cibi ex farre aut leguminibus in aqua coctis' (FORCELLINI, s, v.); «pulmentum» saepe idem sonat ac *puls*, aut etiam est 'cibus ad modum pultis factus'.

10. GUSTATIONEM: «gustatio» [*aperitivo, entremés - apéritif, hors d'oeuvre*]: spectatim est 'initium cenae lautioris quo leviter cibi gustantur eisque fames acuitur; sumitur etiam extra cenae tempus ad vires modice reficiendas' [*tentempié*]. — *Promulsis* idem significat et est 'id quod ante mulsum datur'.

11. LACTUCAE [*lechuga - laitue - lattuga*].

12. BRASSICAE [*col, berza - chou - cavolo*]: cujus multa sunt genera.

13. CARDUI SEU CINARAE [*alcachofa - artichaut - carciofo*].

14. ASPARAGI [*espárrago - asperge - sparagio*].

15. CONCHYLIA [*ostra - huitre - ostrica*]: idem atque ostrea.

16. OVA DURATA [*huevos duros - oeufs durs*]: cfr. «durata in aqua ova» (PLIN. *H. Nat.* 29, 3, 11 (45)). — MARIANO: «durata, indurata»;

TEMPINI (*Manuale di convers. lat.*, 5 ed. Torino, 161), PAL. LAT. (21 (1951) 34): «ovum concretum».

17. MULSO: «mulsum [*mulso, vino mezclado con miel - vin mêlé de miel*] quod antiquis fuit in delictis.

18. FERCULA [*plato, servicio - mets, plat - pietanza*]: «dicuntur singuli missus ciborum qui mensae inferuntur».

19. CARO PORCINA [*carne de cerdo*].

20. VERVECINA [*carne de carnero - chair de mouton*].

21. HAEDINA [*carne de cabrito - viande de chevreau*].

22. PULLUS GALLINACEUS [*pollo - poulet - pollo*].

23. CINNAMOMO [*canela - cannelle*].

24. PETROSELINO [*perejil - persil*].

25. FRUCTUS CONDITI [*fruta en conserva*].

26. LIBA [*torta*].

27. PLACENTAE [*tarta*].

28. COMISSIONEM [*banquete de noche, comilona - gozzoviglia*].

Attamen mos invaluit edendi accumbentes in lectis praesertim ad hospites honorandos. In medio triclinio mensa erat quadrata et ad illam tres lecti tricliniarii, in unoquoque tres convivae accumbebant; ad laevam erat lectus imus, in medio lectus medius, ad dexteram summus; sub rei publicae fine pro triclinio sigma<sup>29</sup> seu lectus in semicirculum ductus suffectum est et pro mensa quadrata orbis seu mensa rotunda.

At haec omnia moris erant Romanorum...; mensam nostram hic apponamus, non ut edamus —nam in schola sumus—, sed ut nomina singulis demus. Inspicite mensam: strata est. Mensa quadrata manteli<sup>30</sup> mundo et albo obtecta, in unoquoque accubitu<sup>31</sup> est mappa<sup>32</sup> ad os detergendum et digitos; sunt etiam culter<sup>33</sup> ad carnem secandam, cochlear<sup>34</sup> ad sorbitionem<sup>35</sup> sumendam et fuscina<sup>36</sup> ad olera, legumina, carnes, pisces capienda. Appositum videtis et poculum<sup>37</sup> ad aquam, scyphum<sup>38</sup> ad vinum, quae ex vase

29. SIGMA [*asiento, diván semicircular - lit de table demi-circulaire*].

30. MANTELI [*mantel - nappe - tovaglia*]: veteres manteli mensam tegebant. «Mantelia nunc pro operendis mensis sunt, quae, ut nomen ipsum indicat, olim tegendis manibus praebebantur» (ISID. ORIG., 19, 26, 6). — Attamen «mantele» est saepe lintheum quo manus in mensa teguntur, ut supra ait Isidorus; ita etiam Vives noster: «Ne abstergas labra manu aut manica, sed simul ipsa, simul manum mantili; nam ideo tibi datur» (*Exercitatio linguae latinae, Refectio scholastica, Opera omnia, Valentiae, p. 301*).

31. ACCUBITU [*asiento - place à table*]: cfr. «primi accubitus», LUC., 14, 7; locus in quo accumbimus; nunc in quo sedemus ad mensam. — Qui sensus apud veteres scriptores non invenitur, apud quos «actum accumbendi» tantum significabat.

32. MAPPA [*servilleta - serviette - salvietta*]: lintheum quo manus et os in mensa abstergimus. — J. L. Vives aliter voces interpretari et adhibere videtur, nam in colloquio cui index *Triclinium* «unicuique, inquit, additum erat salinulum, cultellus, panis et mantile»; et parum infra: «Pone tandem mensam, et explica mappam» («*Pon finalmente la mesa y después desplega (sic) los manteles*» (*Diálogos de J. L. Vives, traducidos en lengua cast. por el Dr. Christoval Coret y Peris, 6 ed., Valencia, 1774,*

p. 257). — Cfr. BACCI (*Lexicon, s. v.*) et *Curso de Latín Polyglóphone CCC*, p. 241-243, ubi «mappa» est *servilleta*.

33. CULTER [*cuchillo - couteau - coltello*]: Vives fere «cultellus» adhibet, qui eundem habet sensum.


34. COCHLEAR [*cuchara - cuillère - cucchiaio*]: ex cochleae similitudine; quod haud facile est a «ligula» discernere, quae ita est appellata ex linguae, quam refert, similitudine.

35. SORBITIONEM [*sopa - soupe - minestra*]: Celsus (*De medicina, 2, 30*): «Sorbitio ex alca vel ex panicis vel ex millo»; dicitur etiam *jus, jusculum* (cfr. MARIANO, COGNASSO, TEMPINI, *Manuale di convers. lat. 5, Torino, p. 160*).

36. FUSCINULA [*tenedor - fourchette - forchetta*]: ita MARIANO; *Curso de Latín CCC*, p. 241-243; TEMPINI: «furcula» (p. 159); BACCI: «escaria furcula, fuscina, fuscinula».

37. POCULUM [*vaso - verre - bicchiere*]: est «vas quo bibimus»; quanquam de quocumque dicitur vase, vocem tamen aptarem ad nostrum communiorem *vaso* (*de aqua*).

38. SCYPHUM [*copa - petit verre - coppa*]: cum «scyphus» saepius ad vinum bibendum adhibeatur ut ex multis scriptorum locis patet, hispanice sic redderem *copa* quam nos quoque ad vinum praecipue usurpamus. Quam vocem fere leges apud Ludovicum Vivem; aliter tamen Tempini (cfr. *Manuale di conv. lat.*, p. 41): «Jam exhaustiamus pocula. — Da singulis pocula plena (vini).



### Res suis nominibus latine designantur

1.	sorbitio; jus	sopa
2.	ova durata	huevos duros
3.	acetaria, orum	ensalada
4.	cicera	garbanzos
5.	assum; caro assa	carne asada
6.	asellus; gadus merluccius	merluza
7.	oryza; oryzae patella	arroz; paella de arroz
8.	pullus gallinaceus	pollo
9.	caseus	queso
10.	melo	melón
11.	lanx fructuaria	frutera
12.	lucuntes amygdalini mellitique	turrone
13.	anisatum	anis
14.	(vinum) campanicum	champán
15.	cafeum; cafei pocilla	café; tazas de café
16.	crustula; circuli	bizcochos
17.	placenta	tarta
18.	volumina tabacea; voluminum tabaceorum capsula	puros; caja de puros

aquario<sup>39</sup> et lagoena vinaria<sup>40</sup> hauriuntur; nec panis deest. Ante oculos sunt vas olearium<sup>41</sup>, acetabulum<sup>42</sup>, salinum, quibus cibi condiantur; unicuique convivae duo tresve catini<sup>43</sup> ad missus<sup>44</sup> sumendos adstant.

Mensa igitur structa est; assideamus, vobisque narrabo quis ordo cenae<sup>45</sup> esse possit. Sunt qui initium cibi a sorbitione ordiantur cum frustulis panis vel farinae decoctae aut cum pasta segmentata<sup>46</sup>, tubulata<sup>47</sup>, vermiculis<sup>48</sup> aliisque farinae pastillis<sup>49</sup>; neque desunt qui ad tritum Romanorum pulmentum redeant. Saepius tamen initio gustatoria<sup>50</sup> afferuntur, quibus fames acuat et excitetur, cujusmodi sunt: concisa et salita perna<sup>51</sup>, farciminis

39. VASE AQUARIO: «vas aquarium» [*jarra de agua*] adhibet Varro.

40. LAGOENA VINARIA [*botella de vino - bouteille de vin*]: «lagoena» est 'vas collo instructum et ore angustiore quo vinum in scyphos effunditur'.

41. VAS OLEARIUM [*aceitera - huilier - oiera*]: ita DUMAINE (*Conversat. lat.* 3, Paris, p. 365); «lecythum» adhibet Vives et alii: «Instilla huc guttas aliquot ex lecytho» (*Exercitatio, Culina, Op. omn.*, p. 345). —MARIANO: «olei ampulla».

42. ACETABULUM [*vinagrera - vinaigrier*]: est 'vas quo acetum ponitur'.

43. CATINI: «catinus» [*plato - plat, assiette - piatto*] est 'vas escarium vel culinarium continendo cibo aptum'; habes etiam diminutivum «catillus»; sed «patina», quam Tempini (*Manuale*, p. 159) proponit, aliud significat.

44. MISSUS [*plato, servicio - assiette - portata, pietanza*]: singulae ferulorum illationes in mensam «missus» dicuntur.

45. ORDO CENAE [*menú, minuta - menu - menu*].

46. PASTA SEGMENTATA [*talharines - nouilles - tagliatelle, tagliarini*]: «pasta» est 'farina aqua subacta et in massam conversa' — vox est superioris latinitatis—; «segmentatus» (MARTIALIS, JUVENALIS, alii) 'est in segmentis divisus'. —COGNASSO, MARIANO: «oblonga pastae segmenta, pastae segmenta»; TEMPINI (*Manuale*, p. 160): «pasta oblonga»; BACCI: «oblonga pastae segmenta, pasta segmentata».

47. (PASTA) TUBULATA [*macarrones - macaroni - maccheroni*], nam «tubuli» formam referunt: ita MARIANO, COGNASSO, TEMPINI, BACCI. —Minus probandi «pastilli» et improbandi «macariones» (DEL VECCHI, apud H. M. JACOBELLI, *In campo latinitatis novi flores*, Romae, 1914, s. v.).

48. VERMICULIS [*fideos - vermicelle - vermicelli*]: «Vidi qui a vermiculis huiusmodi vehementer abhorreret» (J. L. VIVES, *Exercitatio, Convivium, Op. omn.*, I, p. 355). —MARIANO: «vermiculi»; TEMPINI: «pasta vermiculata» (*Ibid.*, p. 160); BACCI: «farina subacta et vermiculata; pasta vermiculata».

49. FARINAE PASTILLIS [*pastas para sopa*]: Cardinali Bacchi non probatur «pastillus» in reddendis vocibus *vermicelli, tagliatelle* (*Lexicon*, s. v. *maccheroni*), cui libenter assentimur; hanc tamen vocem pro generaliore *pasta para sopa* admittimus, cum hoc nomine multa pastae contineantur genera, eaque «paniculi» seu «pastilli» formam expriment aut pillulae figuram habeant.

50. GUSTATORIA [*aperitivo, entremés - hors d'oeuvre*]: 'gustatio, cibus qui gustationis causa apponitur, sive initium sit justae cenae sive alio tempore sumatur' (FORCELLINI, s. v.); cui voci adjungendae sunt «propoma, potio aperitiva, nectar aperitivum» (cfr. BACCI, s. v. *aperitivo*, et PAL. LAT., 30 (1960) 232 et 31 (1961) 200-201).

51. CONCISA ET SALITA PERNA [*tajadas de amón salado*].

laminulae<sup>52</sup>, olerum salgama<sup>53</sup>, salsamenta<sup>54</sup>, quibus interponuntur acetaria<sup>55</sup> e lactucis, asparagi cum ovis duratis. Gustatoria tamen non ut primum ferculum saepissime accipi solent, sed inter cenam in mensa remanent ut convivis fas sit ultro libenterque desumere.

In cottidianis et familiaribus prandiis post sorbitionem olera inferuntur et legumina: brassicae, cicera<sup>56</sup>, phaseli<sup>57</sup>, pisa<sup>58</sup>, parum carnis et piscium.

Si quando fueris ab amicis invitatus diebus festis primum apponentur pisces jure madefacti ut salmones<sup>59</sup>, tructae<sup>60</sup>, asellus<sup>61</sup> —qui vulgo maris lucius seu melius «gadus merluccius» vocatur— aut oryzae patella<sup>62</sup> —qua summe Valentiani nostri delectantur—; deinde armi vervecini<sup>63</sup>, suilla, bubula<sup>64</sup>, farcimina varii generis; in tertio ferculo pulli gallinacei vel columbini, perdices, lepores, capones, gallina farta: haec omnia sane delicata obsonia cum condimentis seu embammatis<sup>65</sup>.

Tandem apponuntur bellaria<sup>66</sup> seu secunda mensa: caseus recens vel

52. FARCIMINIS LAMINULAE [*ronchas de embutido*]: «farcimen» est 'intestinum varie ac minutim concisa carne refertum': idque adhibui cum alia vocabula latina —«tomaculum, lucantca», cet.— (pro reddendis *salsicciotto, salame, salciccia*) varie interpretentur auctores —«Laminulam» dixi ex rei similitudine; cfr. eodem sensu PAL. LAT., 5 (1935) 109 et VIVES de caseo (*Convivium*), p. 358; «bucea, bucella» generaliores sunt et tantum significant 'frustulum rei esui aptae, quantum bucca capit'; «segmentum» fortasse nonnullis probabitur.

53. SALGAMA [*conservas - conserves*]: 'quaecumque conditanea ad victum in vasis servantur interdum sicca, saepe cum liquamine et jure, ut mala, pira, fici, uva, rapae», cet. (cfr. FORCELLINI).

54. SALSAMENTA [*pescado en salazón - poisson salé*]: piscis sale aut muria —aqua salsa— conditus cibi gratia ad diuturnum usum'.

55. ACETARIA [*ensalada - salade - insalata*]: 'olera, quae cruda ex aceto, oleo et sale eduntur, cujusmodi sunt lactucae, nasturtium, menta, Intubus'.

56. CICERA [*garbanzo - pois chiche - cice*].

57. PHASELI [*judia, alubia - haricot*].

58. PISA [*guisantes - pois - pisello*].

59. SALMONES [*salmón - saumon - salmone*].

60. TRUCTAE [*trucha - trutte - trola*].

61. ASELLUS [*merluza - merlus - nasello*]: de «asello» multa disputaverunt scriptores et veteres et recentiores, sed «gadum» significare videtur; nos eum designamus quem LINNEUS «gadum merluccium» nominavit; cfr. E. DE SAINT-DENIS, *Le vocabulaire des animaux marins en latin classique*, Klincksieck, Paris: 10; J. JONSTONUS, *Historiae naturalis de piscibus et cetis libri V*, Amstelodami, Schipper, 1658, p. 1 et tab. I, II; J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua cast.*, III, s. v. *merluza*, qui satis abunde de hac voce disserit.

62. ORYZAE PATELLA [*paella de arroz*]: cum «patella» sit 'vas fictile aut aereum cibus tum coquendis tum mensae inferendis idoneum' aptari posse videtur et fictili vasti et ferculo oryzae paratae ad esum.

63. ARMI VERVECINI [*espalda de carnero*].

64. BUBULA [*carne de vaca*].

65. CONDIMENTIS: «condimentum» [*salsa - sauce*]: est 'id quo aliquid conditur' (Cic., *De fin.*, 2, 128. 90): «cibi condimentum esse famen». —EMBAMMATIS: «embamma» est 'intinctus, liquamen, condimentum quibus panem vel obsonium intingimus et famen excitamus'.

66. BELLARIA [*postres - desserts - pospasto*]: 'cupedarum omne genus, poma, nuces, cibi saccharo aut melle conditi, atque hujusmodi irritamenta gulae: qualia sunt quae secundis mensis inferri solent' (FORCELLINI); cfr. VIVES,

vetus, varii fructus: armeniaca<sup>67</sup>, persica<sup>68</sup>, pruna<sup>69</sup>, melones<sup>70</sup>, citrulli<sup>71</sup>, pira recentia vel mellita<sup>72</sup>, fraga<sup>73</sup> vino et saccharo condita, cydoneum<sup>74</sup>, placenta, liba, amygdalini et melliti lucuntes<sup>75</sup> —Natalicio in primis tempore—, omnisque generis cupediae.

Prandium vino abundat, sub finem rubrum albumque funduntur: nec suavissimum et spumans campanicum<sup>76</sup> deest ad propinationes neque alii

(*Exercitatio, Convivium, op. om.*, p. 358): «Tantumne bellariorum apparatus et cupidines...?»; cfr. etiam PAL. LAT., 18 (1948) 393-395.

67. ARMENIACA [*albaricoque - abricot - albicocca*].

68. PERSICA [*melocotón - pêche - pesca*].

69. PRUNA [*ciruela - prune - prugna*].

70. MELONES [*melón - melon - mellone*]: «melo» et «melopepo» idem esse multis videtur, cfr. lexica.

71. CITRULLI [*sandía - pastèque, melon d'eau*]: Nebrissensis habet: «melo Indicus», quod nomen rei bene quadrat, ut ex *ils*, quae Corominas (*Diccionario crítico etim. de la lengua cast.*, s. v.) disserit, patet; «citrullus» est nomen Linnel, cuius indoles et virtutes in CANDIDATO LATINO, a. 2, n. 9, p. 54 optime describuntur

72. MELLITA: «mellitus» est 'melle conditus aut saccharo'.

73. FRAGA [*fresa - fraise - fregola*].

74. CYDONEUM [*membrillo*]: cfr. Vivem

nostrum (*Exercitatio, Refectio scholastica, op. o.*, p. 290): «Pro secunda mensa raphanti perpusillum... mala persica, cydonia», et alibi (*Convivium*, p. 359) habet «cydoniatum» quod in indice vertitur *carne de membrillo*.

75. AMYGDALINI ET MELLITI LUCUNTES [*turrón*]: difficile sane est latine reddere dulcissimum illud edultum quod vulgo nos *turrón* appellamus. Nebrissensis vocat «crustum», quod quidem non sufficit cum multa esse possint crustorum genera; lexica inventi quae interpretantur «crustum ex melle amygdalisque», quo hoc bellariorum genus subtilius definitur. Sed P. Em. Jové vocem *lucuns* —edulium pistorium— adhibendam proposuit (cfr. *Alma Roma*, 10 (1923) 200); sed cum non prorsus placeret vocis antiquae rei novae aptatio —quia res ipsa satis non definebatur—, in PAL. LAT. (28 (1958) 473) adhibuit «amygdalinos mellitosque lucuntes», cum ex amygdalis praecipue et melle vel saccharo conficiantur (cfr. de re J. COROMINAS, *Diccionario*, s. v.).\*

76. CAMPANICUM [*champaña, champán - champagne*] e regione gallica Campania, ubi illud spumans vinum praecipue paratur.

\* Iterum rem percurro totamque circumspicio. Praeter lexica superius commemorata invenio: MARIANO: «mellita crustula»; BODELLINO (Rosenberg, Torino, 1961): «mellita placenta»; COGNASSO: «mellita crustula, lucuns». Priora tamen verba rem distincte non definiunt. —Nunc autem praeter P. Emm. Jové, qui anno 1923 (cfr. *Alma Roma*) et anno 1929 (cfr. *Candidatus latinus*, n. 9, p. 53) *lucuns* adhibuit, hanc quoque vocem affert Cognasso (*Il latino per l'uso moderno*, Torino, 1936); uterque tamen inter se sejuncti sunt; nam Cognasso opusculum edidit a. 1936, neque tamen ille *Candidatum Latinum* novit, utrum vero *Almam Romam* legerit nescimus.

Ut nunc se res habet *lucuntem - lucuntes* accipiamus eosque distinctius et subtilius notantes appellemus «lucuntes amygdalinos mellitosque», cum haec sit praecipua, ex qua fiant, materia.

P. Caelestis Eichenseer, ea qua est benignitate, omnes, qui de hac voce exstant apud scriptores, locos a sedula quadam scriptrice «Thesauri linguae latinae» exquisivit eosque peramice misit, ex quibus, si aliud non omnino liquet et manifestum fit —cum vox signate 'non describatur'— id saltem eruitur *turrónes* nostros, veterem vocem aptantes, «lucuntes amygdalinos mellitosque» nos appellare posse.

liquores<sup>77</sup>, ut coniacum<sup>78</sup>, anisatum<sup>79</sup>, Benedictinum<sup>80</sup>, Chartusianum<sup>81</sup>, cetera.

Postremum convivae humaniter ad cafēum<sup>82</sup> invitantur et hospes dominus voluminum tabacinarum capsam profert aut hispanicarum praebetque singulis, qui libenter sumunt et accensa hispanica<sup>83</sup> vel volumine tabaceo<sup>84</sup> fumum, dum colloquuntur, hauriunt<sup>85</sup>.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

77. LIQUORES [*licor - liqueur - liqueur*]: proposita sunt: MARIANO: «potu dulcia»; COGNASSO: «liquor, liquores alcoolici, odoratae potiones»; CAPELLANUS-LAMER (*Sprechen Sie Lateinisch?*, 1933, p. 15): «aromatites»; BINI (*L'uso vivo della lingua latina*, s. v.): «odorata (inebrians) potio»; BACCI: «merum validissimum; potio validissima; potio odorata (*liquore profumato*)...» — Sed haec sufficere non videntur vocabula cum de re certa et definita agatur et saepe technica, ut ex iis, quae J. Holzer in PAL. LAT. (25 (1955) 41-43) disputavit, demonstratur; ubi discrimen inter *liquores* et *aquas ardentis* manifestum fit. Vocem olim adhibueram (*Nova et vetera*, opusc., p. 74-76); cfr. etiam LURZ (*Societas latina*, 17 (1952) 13): «liquor».

78. CONIACUM [*coñac - cognac - cognac*]: cfr. quae in PAL. LAT. (29 (1959) 82-83) disputavi de hac voce.

79. ANISATUM [*ants*]: cfr. HOLZER (PAL. LAT., 25 (1955) 42)

80. BENEDICTINUM [*Benedictine*]: est liquor a Patribus Benedictinis, uti dicunt, apparatus.

81. CHARTUSIANUM [*Chartreux*]: altus liquor a Chartustianis confectus. — Hi omnes liquores — si vox *liquor* non opponatur — neutro genere efferri possunt, sic: «Benedictinum» vel «liquor Benedictinus».

82. CAFEUM [*café - café - caffè*]: cfr. quae de voce in PAL. LAT. (29 (1959) 39) scripsi.

83. HISPANICA [*cigarrillo - cigarette - sigaretta*]: cfr. PAL. LAT. 30 (1960) 162-63.

84. VOLUMINE TABACEO [*cigarro - cigare - sigaro*]: cfr. PAL. LAT. 30 (1960) 163-164.

85. FUMUM HAURIUNT [*fumar - fumer - fumare*]: cfr. PAL. LAT. 30 (1960) 165.

# EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

*Bernardinus Fontaninus P. Rev. Josepho M.<sup>ae</sup> Mir, C. M. F. salutem.*

Ante plures menses tuam responsionem in PALAESTRA vidi neque rescripsi quidquam exspectans ulteriorem explicationem quam tu promiseras.

Nunc vero, cum plus quam *satis* mihi *satisfeceris*, non est cur moras traham. Nota me iteravisse adverbium *satis* ne me dicis causa locutum esse opineris.

Ni fallor in propositis a me quaestionibus et a te solutis consentimus. Hoc caput est in re. Quod spectat ad singula, dissensiones saepe ex uniuscujusque indole proveniunt ac propensione.

Nomen Mir video nonnullos facere «Mirus» ac declinare. Valde mihi placet te tanto cognomine ornari. Meum vero, cum sit humile, in epistulis soleo declinare, quia declinatum pluries vidi in documentis vetustioribus.

Majoribus in praesens mihi curis presso ignosce si solummodo argentensia pauca nomina tibi misero felicioribus temporibus alia reservans. Indicem curabo, ne dubitaveris.

Voces latinas in ultima syllaba non esse acuendas a teneris fere unguiculis audivimus. Veteres in diversas sententias abiisse nescio, sed non ab omni parte nobiscum convenire in usu certum est.

PALAESTRA LATINA, qua est sollertia, litem componet, si placebit.

Iterum ad indicem nominum civitatum vel locorum... Nomina non pro lubitu finxi, sed juxta vim etymologiarum; interdum duritiam emollivi vel aptavi ad aures latinas, alia ex eventibus conflavi.

Utrum conatus mihi bene cesserit necne, aliorum est judicare.

Indulgentiae confidens seorsum indicem scribam.

Vale in Domino.

Ex Monasterio Divini Infantis, Kalendis Novembribus, anno MCMLXI.

PATER BERNARDINUS FONTANINI, O. S. B.

## INDEX NOMINUM LOCORUM ARGENTINENSIVM

1. \* *Añatuya*, *Annatuja* -ae f.
2. \* *Azul*, *Caerulea* -ae f., *Caesia* -ae f.
3. \* *Bahía Blanca*, *Sinus* -us *Albus* i m.
4. \* *Buenos Aires*, *Bonus Aēr*, *Boni Aēres*, (*melius*) *Bonae Aurae*.
5. \* *Catamarca*, *Catamarca* -ae f.
6. *Colón*, *Columbus* -i m.
7. \* *Concordia*, *Concordia* -ae f.
8. \* *Corrientes*, *Rheopolis* -eos f., *Fluenta* -orum n. pl.
9. *Curuzú Cuatiá*, *Crux Alba*, *Alba Crux*.
10. *Chaco*, *Fernidandia* -ae f.
11. *Chubut*, *Ciubuta* -ae f.
12. *Diamante*, *Adamas* -antis m.
13. *Entreríos*, *Interamnae* f. pl., *Interflumina* -um n. pl.
14. \* *Formosa*, *Formosa* -ae f.
15. \* *Goya*, *Goja* -ae f.
16. *Gualeguay*, *Antonia* -ae f.
17. *Guaeguaychú*, *Vallissubia* -ae f.
18. *Itatí*, *Itatia* -ae f.
19. *Jujuy*, *Soteria* -ae f.
20. *La Plata*, *Argyropolis* -eos f.
21. *Mar del Plata*, *Argentipontus* -i m.
22. \* *Mendoza*, *Mendossa* -ae f.
23. \* *Mercedes*, *Merces* -edis f.
24. *Misiones*, *Missiones* -um f. pl.
25. *Neuquén*, *Neuchen* -ēnis m.
26. *Nogoyá*, *Nogoja* -ae f.
27. *Pampa (La)*, *Pampa* -ae f.
28. *Paraná*, *Parana* -ae f.
29. *Patagonia (La)*, *Patagonia* -ae f.
30. *Paz (La)*, *Pax* -cis f., *Irenopolis* -eos f.
31. \* *Posadas*, *Rochi Fanum* -i n.
32. \* *Rafaela*, *Raphaēla* -ae f.
33. \* *Resistencia*, *Resistentia* -ae f.
34. \* *Rosario*, *Rosarium* -ii n.
35. \* *Reconquista*, *Recuperatio* -onis f.
36. *Río Negro*, *Fluvius Niger*.

\* *Urbs cardenalicia.*\* *Urbs episcopalis.*\*\* *Urbs archiepiscopalis.*

37. *Rioja (La)*, Rioxa -ae f.
38. *San Juan*, Sanctus Johannes -is, Johannopolis -eos f.
39. \* *San Luis*, Sanctus Ludovicus -i.
40. \* *Santa Fe*, Sancta Fides -ei.
41. \* *Santiago del Estero*, Sanctus Jacobus ad Uligines.
42. *Tala*, Tala -ae f.
43. \*\* *Tucumán*, Tucumanum -i n.
44. \* *Uruguay*, Uruquarium -i n.
45. *Victoria*, Victoria -ae f.
46. *Villaguay*, Villaquaria -ae f.

NOTA. — Sunt in Argentina ut alibi multis in locis nomina urbium episcopatum imprimis quae aures torquent audientium aut legentes offendunt. Haec mutationem desiderant, uti olim Europaei de suis intellexerunt.

Rationes et causas uniuscujusque nominis proferre nunc supersedeo

*Jos. M. Mir, C. M. F., Patri suo Rev. Bernardino Fontanino, O. S. B. salutem.*

Tibi gratulor — quod illum urbium indicem tam accurate reddidisti latine; mihi gaudeo — quod novis vocibus thesaurum linguae latinae me hortante locupletasti. Rem plane attigisti et assecutus es.

Id tantum animadvertas velim Card. Bacci *Buenos Aires* latine exprimere «Bonaëropolis» (Cfr. *Lexicon* s. v.); quae vox accipienda quoque est.

Multum in ea voce quae est *Interamniae* cum animo meo reputavi; etymon haud obscurum, sed planum; vox haud inconsiderate conficta, sed fortasse ad ipsam linguae latinae indolem propius accederemus si urbem illam *Interamniae -arum* latine appellaremus.

Rem, quam attigisti, studiose confice.

Nos ama et vale.

Pridie Calendas februarias, anno MCMLXII. Barbastro.

*Gregorius Joseph, O. S. B. Reverendo Patri Ildephonso González, C. M. F. salutem.*

Nuper tantum in manu habui vocabulorum nomenclaturam tuam ad radiophoniam pertinentium, in fasciculo 149 editam et ideo tecum de ea serius loquor. Multum mihi placuit et spero te nonnullas quaestiones, praecipue de «valva», benigne simul et perite expediturum.

Ut video, tria valvae organa (quae mihi «electrodi» vocandi videntur) ex uniuscujusque munere designas,

anodus = quo ingreditur fluxus

cathodus = quo egreditur fluxus

renixus = quo moderatur fluxus

qui fortasse communior est in Hispania usus.

Plerumque in Gallia non munus, sed potius electrodorum formam seu figuram exprimimus.

Sic: *anodum* vocamus «*plaque*», quae latine apte, ut puto, *brattea* vocari potest;  
*cathodum* vero «*filament*», latine *fibra*, si tibi placet;  
*renixus* autem «*grille*»: ad quod latine reddendum, vox *crates* mihi convenire videtur.

Desideratur autem, nisi fallor, aptior vox quam «*renixus*» ad hujus electrodi munus designandum, nec tamen invenire potui.

*Renixus* enim, idem gallice sonat ac «*résistance*» seu (in re de qua agimus quidquid electrico fluido obstat ac proinde, in circuitu insertam fluxus vim (dicimus: *intensité*) minuit.

Porro «*cratis*» munus non est proprie fluxus *minuendi*, sed *moderandi*, i. e., pro sua «*tensione propria*» emissos a fibra electrones cum repellere, tum eorum ad anodum transitum, ut ita dicam, frenare, aut simul cum anodo attrahere et sic transitum augere.

Quo latino verbo tam multiforme munus exprimatur, nescio. Tu vero?

Menti meae occurrerunt nova vocabula «*moderatorium*», «*regulatorium(?)*», quae tamen mihi minus placent, ut non satis definita.

Aliud excogitavi quod vix dicere audeo, ne primo visu ineptum videatur: *capisterium* scilicet vel ejus formam diminutivam *capisteriolum*.

Nonne quaedam est *cratis* species? Cum re ergo concordat.

Sed insuper rei finem quodammodo suggerit.

Sicut enim *capisterium* (gallice: *crible, tamis*) quaedam dimittit et quaedam retinet, sic res nostra in electrones.

Ut autem significatio magis pateat, conjuncto adjectivo definiatur oportet: «*electronicum capisteriolum*».

Quae quidem fortasse serius veniunt, cum jam (saltem mox), adveniente novo invento, nomine «*transitorio*» valvae «*triodae*», ut ajunt, et similes ad rejectionem destinantur.

Habe me ergo excusatum, si de inutilibus tecum sermonem habui, dum haud dubie tempus tuum ad urgentiora requiritur.

Vale, carissime Pater, et ora pro me sicut et ego pro te facio.

Notre Dame de Tournay,

Hautes Pyrenées,

—France—. 9/12. 1961.

*Ildephonsus González, C. M. F. Admodum Rdo. Patri Gregorio Joseph O. S. B. sal.*

Maxime tuae mihi litterae gratae fuerunt, quibus non nulla mihi declaranda amice proponebas de scripto, ad rem radiophonicam pertinenti, quod jam fere in oblivione jacebat. Haud equidem me potiora de re callere ingenue

fateor. Quid autem hic tecum sermones, quamvis levissimo calamo, conseram? Tu vero ignosces, si propositum minus attigerim.

Apud vestrates, vulgari scilicet ratione, «valvularum» praecipua organa in re radiophonica: *plaque, filament, grille*. Quae aptius tu latine reddis: *brattea, fibra, crates*. Vocabula hujusmodi, plus minus, cum rei forma figurave conveniunt.

Apud nostrates, eadem alicubi vidi sic expressa: *placa, filamento, rejilla*. Quae quidem et tua fere referunt. Jam vero, nulla omnino difficultas, nostra in vulgari confirmanda.

Mea tamen sententia (meliora tu judicabis), vocabula ista non conveniunt aut non bene aptantur sermoni «technico», cui quidem parvi est negotii forma vel figura phaenomenorum experiendorum, in propria constituenda nomenclatura, quae maximam quasi agilitatem verborumque proprietatem curat adhibendam.

Electrodi valvulae sunt: anodus (ingressus), cathodus (egressus) electrici fluxus. Inter utrumque quidquam adest, quod fluxum, uti tuo sermone utar, moderatur. Atque inde scrupulus de mea vocula «renixus». Sed aperte dicam, meo quidem arbitrato in vulgus edidissem pro renixu «resistentia». At, vox deerat seu non recensebatur in classicis lexicis, quibus tunc parere putavi.

Sed *renixus* et *resistentia* a te omnino reprobantur, cum illius «grille» munus sit electricum fluxum moderari. Rem minime disceptabo, dumtaxat nomenclaturam aliarum linguarum commemorabo, tuque pro bona tua pace constitues.

Ut apud omnes facile constat, germanica lingua admodum apta in re «technica» exprimenda manet. In qua hac ratione procedi video: *Anode, Kathode, Widerstand*. In lingua vero anglica: *anode, cathode, resistence*. In lingua italica: *anodo, catodo, resistenza*. A nostratibus etiam adhibetur vocabulum *resistencia*. Haec autem de nomine; de re non est in animo litem homini intendere.

Nihilo secius rei convenientiam in eo esse autumo: ut quam simillime linguam latinam nostrae aetatis dicendi rationi in scientiarum usu aptemus, ne forte nova tanquam Babel in regionibus vel provinciis rerum scientificarum exurgat.

Quid tandem de tuo (*s*)*cap(h)isterio* vel de ejusdem deminutivo? Si ex me quaeras, potius eligerem vocem *craticula*, quippe quae magis cum vestra «grille» convenit (*crates > craticula > graticula > graïlle > grille*). Nulla mora mihi hac in retrahenda; sed vel *capisterium*, vel *cribrum*, vel *vannus*, vel *incerniculum* (quod in idem fere vergit) non videntur voces aptae, quae *moderentur* electricum fluxum, saltem in «scientifico» sermone.

Hisque satis, mihi carissime Pater, sit. Quam maximas tibi rependo grates, qui adeo in me benivolus fueris. Maxime in votis est, ut ulteriora hisce in rebus dilucidandis loquere, in commodum ac laetitiam latinitatis cultorum. Me tibi addictissimum habeas coramque Domino semper recorderis mei.

Barcinone, in Hispania, 4/I, 1962.

# P E R O R B E M

**Valeat lingua Graeca.** — Die quinto superioris mensis Januarii «*Societas Pediludii Barcinonensis*» Athenas — ut officiosam pediludii concertationem cum lusorum manipulo «ΟΛΙΜΠΙΑΚΟΣ» nomine, qui est supremus Graeciae victor, haberet—, petivit. Medio certaminis tempore, multitudine ovante, Societatis Barcinonensis Pediludii moderator Daus. Henricus Llaudet, salutem graeca hodierna lingua toto pectore nobilissimae principi feminae Sophiae dixit. Quibus salutationis verbis arridens hispanice «*muchas gracias*» illa respondit.

— Summa perfusi sumus laetitia cum librum graeca lingua classica conscriptum, editum esse certiores facti sumus. Qui liber a cl. professore Henrico Skassis exaratus sic inscribitur: «ΤΕΤΙΘΕΑ ΚΑΙ ΤΕΤΤΙΘΝΙΑ ΠΑ-

ΡΑ ΠΛΙΝΙΟΥ Γλωσσική ζήτησις υπό ΕΡΡ. ΣΚΑΣΣΗ. ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ.

Agitur de scientiae peruestigatione de verbis tethea et Tettigonia.

— Novum missile americanum, «*liberarum gentium spes*», cui graecum nomen ΖΕΥΣ ΝΙΚΗ exstructum est, velut si longe lateque per orbem — per caelos quoque— vigere, florere, triumphos inire honestissimae litterae graecae, cum latinis optima fraternitate conjunctae, deberent. Inscriptionis verba a Xenophontis Anabasi (L. I, cap. 8, n. 16) desumpta videntur, ubi Juppiter «ΖΕΥΣ σωτήρ καὶ ΝΙΚΗ» vocatur.

## **IX Societatis «Internationalis» Studiorum Classicorum conventus.**

— Varsoviae — urbe monumentis classicis et litteratissimis viris clarissima— die secundo superioris mensis Septembris congregatus est. Quem conventum nobilissimus Professor Romanelli moderatus est.

Quattuor novae societates quibus nomina «*Classical Association of South Africa*» et «*Australasian Universities Language and Literature Association*» et «*Sociedade Brasileira de Romanistas*» et «*Societas Hungarica Classicis Litteris provehendis*» — maximis decorata laudibus— in Internationalem Consociationem sunt cooptatae. Quo societates ad Int. Soc. pertinentes, quadraginta tres enumerantur, quarum triginta septem nationales sunt et quinque internationales.

Praeclarissima femina Julia Ernst, quae scribae munere fungitur, compendium seu synthesim laborum praebuit quos Consociatio Internationalis — a superiore Congressu Londinii mense Septembri anni 1959 coacte— perfecit vel aggressus est.

**Inventa Archaeologica.** — Institutum Archaeologicum germanicum quod, W. Grünhagen duce, multa loca nuper ad Heliopolim felici exitu suffodit, hos duos aeneos lapides recentissimis effossionibus inventos, lectoribus libentissime praebet.

In prima brattea haec, quae ad hospitalitatem referuntur, habentur verba:

«Sextus Curvius Silvinus, quaestor pro praetore, hospitium fecit cum senatu populoque Muniguensi Hispaniae Ulterioris, eosque liberos posterosque eorum in fidem clientelamque suam liberorum posterumque

suorum recepit.

Egerunt

Lucius Luccellus Lucii filius magistratus, legatus

Lucius Octavius Marci filius Silvanus».

Altera brattea Titi epistula ad Muniguenses missa continetur:

•Epistula Titi ad Muniguenses

Imperator Titus Caesar Vespasianus Augustus, pontifex maximus, tribunicia potestate VIII, imperator XIII, consul VIII pater patriae, salutem dicit III viris et decurionibus Muniguensium.

Cum ideo appellaueritis ne pecuniam quam debebatis Seruilio Pollioni ex sententia Semproni Fusci solueritis, poenam injustae appellationis exsigi a vobis oportebat, sed ego malui cum indulgentia mea quam cum temeritate uestra loqui, et sextertia quinquaginta millia nummorum tenuitati publicae

quam praetextis remisit. Scripsi autem Gallicano, amico meo proconsuli, pecuniam quae adjudicata est Pollioni numerassetis, ex die sententiae dictae usurarum vos computatione liberaret.

Reditus uectigalitorum uestrorum quae conducta habuisse Pollionem indicatis in rationem uenire aequum est, ne quid hoc nomine rei publicae apsit.

Datum VII idus Septembres.

Valete.

Brevi a cl. viro germanico G. Nesselhauf de his aeribus enucleandis vulgabitur commentatio.

—In urbe Augusta Bagienorum (*Benevagienna*), a Caesare Augusto condita, praeter opera maximi momenti quae a viris antiquitatis studiosissimis jam diu perficiuntur ut theatrum romanum patefiat, area fornicata post hoc theatrum inventa est quae, uti creditur, ad deambulandum vel ad sese recipiendum a Romanis adhibebatur.

—In Liguria viri qui in res archaeologicas incumbunt —navi subaquanea «Daino» nomine instructi atque fovente summa studiorum rerumque nauticarum Administratione—, rudera, antiquarum urbium parietinas, amphoras aliaque hujusmodi multa, quae permagni ad historiam et classicam artem putantur, invenerunt.

—Ad Mediolanum reliquiae aedis Capitolinae, domorum romanarum, viae porticibus instructae repertae sunt; Regii Lepidi (*Reggio Emilio*) sepulcrum in quo Constantinianum Christi monogramma est incisum, quod saeculo IV p. Ch. n. adscribitur; Centum Cellis (*Civitavecchia*) thermarum romanarum peristylis ornatarum fragmenta; in Campania tandem praeter alia —quae sunt in commentariis «*Studi Romani*» (mense Nov. Dec. 1961)— carucae dormitoriae reliquiae inventae sunt, quae maximi est apud artis peritos.

**«Tempora volvuntur sacris non fausta poetis».** — Si vis, humanissime lector, nostrae aetatis poetarum indicem —majoris momenti poetarum dico qui «quasi cursores lampada tradunt» nostrae latinitatis— per singulas nationes, ac brevibus notis et commentariis historicis illustratum habere ex omni parte perfectum, ut eos manu saepe tractare possis animumque tuum gratissimorum musica carminum cumulare, librum cui index «*Viva Camena*» ab illustrissimo viro et elegantissimo poeta Josepho Eberle collectum atque editum adi semper semperque consule.

Qui liber in duas partes dispertitur: quarum prima (pag. 5-182) Anthologia novorum est latinorum poetarum novumque etiam vitale monumentum «aere perennius» Camenis exstructum; quo spectato, latinae linguae cultores «profundum illud et quasi divinum gaudium» non poterunt non percipere. Altera libri parte «Commentariolum de latinis hujus aetatis poetis» continetur (pag. 185-221), annotationibus instructum a clarissimo viro J. Ijsewijn exaratum.

**Cl. Prof. Vandick Londres da Nobrega.** — «Societatis Brasiliensis Romanistarum» conditor moderatorque commentariorum quibus «*Romanitas*» index est, «Seminarium» in

Brasiliensi Universitate ad Juris romani studia fovenda et excitanda instituit. In primo colloquio seu disputatione, de Ciceroniana illa oratione «*Pro Caecina*» egit.

**Amphitheatrum Romanum Tarraconense** cujus diuturna oblivione deleta est omnis memoria, quoniam per tot annos ruderibus, ruinisque opertum erat, a Societate sub nomine «*Amphitheatri Amici*» tres abhinc annos condita, brevi instaurabitur.

**Novos commentarios, machina multiplicativa editos,** qui «*Matutinum*» inscribuntur —quia alumnos ad litteras latinas et graecas et hodiernas colendas excitant et movent — ex animo salutamus. Hi commentarii ab alumnis Claretianis Rosarii (in Argentina) sexto quoque mense in lucem dantur. Ut in

ipsa commentariorum inscriptione praemittitur, fasciculus est scholasticarum exercitationum quae latine, graece, hispanice, anglice, italice, cet. sunt optime conscriptae. Fabellas jucundissimas, venustissimos sales et verborum aenigmata ceteraque alia similia continet.

**Pro sermone latino colendo et tutando.** — Nemo latinarum litterarum amicorum est qui ignoret quantis in angustiis optimae nostrae artes hodiernis temporibus versentur.

Legite, amabo, lectores, verba quae —ad sensum tantum non ad verbum ex italico sermone in latinum conversa— a cl. v. Emmanuele Rapisarda, maximo exarata dolore in commentariis qui inscribuntur «*Orpheus*» (*Luglio-Dicembre* 1961) vulgata sunt:

«...Hodierni juvenes, coram Ciceronis vel Senecae paginam, turbantur, haesitant, in ambiguo sunt. Raeda videntur iter facere qui aërea navi volare solebant... Vita illa hominum atque societas —quaestionibus quae ad animum spectant plenae— quid mirum, repugnans, perfrigidum eis videntur atque ab ea longe abhorrent... Cultus mediterraneus, qui ab antiquis originem ducit limpdatum —vitaeque toti orbi est magister— minimi ab adolescentibus nostris habetur...».

En alia ab eisdem commentariis desumpta scripta:

«Sermo latinus, qui plus quam aliae disciplinae duces et magistros postulat peritissimos —ut classicorum scriptorum doctrinam, qua nescio quid sit praestantius, juvenes nostri assequantur—, hodiernis temporibus non tantum non colitur neque aestimatur sed neque a magistris traditur. Ex quo lingua latina, jucundissima, suavissima omnibusque numeris absoluta, maximum tormentum potius quam ratio et via qua animi et mentis excelsitudinem facilius adipiscantur, scholasticis nostris videtur...».

Lugendum, humanissimi lectores, quod bellum adversus Vergilii, Ciceronis, Augustini linguam —qui tot tantarumque optimarum rerum nuntii hominibus fuerunt— maximum hodie geratur.

**Scaenici ludi classici et hodierni aëre aperto in Italia dantur.** — Optima sane mente excogitatum est ut omnes de fabulis antiquis gratuito voluptatem percipiant jucundissimam —optimoque omine—: Pompejis, Veronae, Minternis (in Campania), Aterni, Vicetiae atque in aliis Italiae urbibus et vicis, aestate superiore —Instituto Pristinis Fabulis provehendis moderante— tres fabulae repositae sunt; alia Terentii («*L'Eunuco*»), Plauti alia («*Il Cartaginese*») et nobilissima illa Sophoclis tragoedia cui index «*Antigona*», simul cum hodiernis Shakespeare et Gabrielis d'Anunzio operibus.

Quae omnia apud rudera et monumentorum ruinas in scaenam data, maximo spectatorum, qui theatro aëre aperto adierant, plausu recepta sunt.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

MERLAUD, ANDRÉ. — *Pastoral de la Infancia*. Ediciones Sígueme, Salamanca, 1959. pag. 250, 12 x 19 cm.

Quantum volumen in corpore «Hinnent», quod in primigenia lingua inscribitur «Jalons pour une pastorale de l'Enfance», in linguam vero hispanicam conversum a claro viro Joachim Gomis Omnes fere puerorum educationis loci tibi agili calamo perstringuntur. Hac scilicet ratione: I. Puer et sua hominis vocatio (pp. 25-42). II. Puer et societas suae aetatis (pp. 43-58). III. Puer et «supernaturale» (pp. 59-70). IV. Puer et sacerdos (pp. 71-82). V. Puer et catechismus (pp. 83-96). VI. Puer et «S. Biblia» (pp. 97-110). VII. Puer, Missa et Sacramenta (pp. 111-124). VIII. Puer et ludus (pp. 125-144). IX. Puer et lectio (pp. 145-162). X. Puer et Cultus (pp. 163-174). XI. Puer et «sectiones» (pp. 175-190). XII. Puer et Actio Catholica (pp. 191-212).

Praeit huic libro probe cogitatus interpretis prologus (pp. 9-12), una cum erudita auctoris introductione (pp. 13-24) Liber ampla de re conclusione absolvitur (pp. 213-220). Neque praetereunda est appendix (pp. 221-230), cui titulus «*Hacia una pedagogía religiosa de los niños deficientes*». Summa appendicis hujus deprompta est a doctrina clari Professoris in Instituto Catholico Parisiensi, Rdi. Dni. Bissonnier.

A. MARQUÉS, C. M. F.

CICERONE. — *Il pensiero filosofico*. Letture scelte a cura di G. AMMENDOLA e V. D'AGOSTINO, Editore Luigi Loffredo, Napoli, 1958. pag. 270.

Postquam vir Josephus Armendola mortuus est qui hoc opus iterum edendum curaverat, Victorius D'Agostino —vertente anno bis milesimo a Cicerone mortuo—, aggressus est totum libri argumentum retractare et amplificare, ita ut hanc tertiam editionem —novam diceret— litterarum latinarum cultoribus

praeberet perfectam «migliorando molti particolari e redendo il volume più conforme alle nuove esigenze dell'indagine filologica da un lato, dell'insegnamento dall'altro».

Haec est virtus et praecipua hujus libri laus quod Ciceronis operum fragmenta quae ad rem philosophicam pertinent non incondita atque incomposita, sed omnia ita ordinata et digesta ab auctore Victorio D'Agostino legentibus exhibeantur ut unum quasi corpus philosophicum constitui videantur.

Unicuique libri capiti, ut penitus sensus capiatur, summa seu brevis descriptio argumenti, finis temporis atque modi dicendi Ciceronis praemittitur.

Opus plurimis captuque facilibus — quippe quae ad scholas destinantur— ditatur notulis, immo crebro loci e fontibus repetuntur, atque cum aliis Ciceronis locis conferuntur rationeque critica disputantur.

Quibus omnibus librum hunc magnopere latinarum litterarum amicis commendamus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

MORIER, HENRI. — *La psychologie des styles*. Librairie de l'Université Georg. Genève (Suisse), pag. 376, 14'5 x 23.

Maximi quidem momenti ornamentique volumen hoc quod totum est de stilorum psychologia. Praeclarus vir H. Morier, Historiae linguae gallicae, Poëticae et Dissertationis gallicae in Universitate Genevensi Professor, cum ingenitum litterarum usum thesaurum in eo exarando fausto omne cumulavit.

Tota vero arte et accuratatione typographica opus studioso exhibetur. In duos libros dividitur: I. *Théorie* (pp. 5-115). II. *De l'inspiration au texte* (pp. 117-362).

Tria capita in primo libro sunt: *une stylistique de la personne; hierarchie de l'être interieur; des manifestations du caractère aux esthétiques du tempérament*. Altero autem octo sunt capita, ea sane inscriptione: *Les caractères faibles...*

délicats... équilibrés... forts... hybrides... subtils...  
défectueux.

Atque septuaginta admodum ibi «stili» explicantur, itaque stilo sane ingentoso ac lepido. Libri bibliographia, et selecta et ampla, lectoribus magno opere de re administracula colligit haud parvi, si quid mei est iudicii, facienda.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GRIMAL, PIERRE. — *Horace. Écrivains de Toujours*, 1958. pag. 191.

Hoc corpus «*Écrivains de Toujours*» inscriptum, in quo tanta et optima et eximia opera in lucem edita sunt, hoc novo cl. v. Petri Grimal libro augetur, qui — ut saepe Horatii memoriam repetamus — hoc litterarium extruxit perenne poetae illi «le plus souvent cité et, peut-être, le mieux aimé par de longues générations d'humanistes» (p. 6).

Opus quod in promptu habes in duas partes distribuitur: quarum in prima — de Horatii vita, de modo dicendi eleganti, liquido, jucundo, de patria Apulia disputat auctor, quam in Epodis deinceps commemorabit: «la silhouette de ces paysannes apuliennes...; paysage de pâturages montagnards..., brûlés en été par le soleil» (p. 10), de moribus et conditionibus politicis, de ludorum ejus magistris, praesertim vero de Orbilio Pupillo, cui Horatius debet «une formation dont il gardera l'empreinte toute sa vie: un sens moral très exigeant...» (p. 12); atque de itinere quod confecit Athenas — «grande ville universitaire on resonnaient encore les voix du passé» (p. 17).

Nobis deinde cl. vir Petrus Grimal mira arte Horatium praebet Maecenatis et Epicuri amicum (p. 29-45), eximium poetam (p. 69-83), poetarum lyricorum principem, spiritu poetico atque lumine instinctum.

Alter operis pars (p. 87-190) collectanea sunt fragmentorum, id est Satirarum, Carminum, Epistularum, Artis Poeticae, quibus singulis praemittitur prooemium, ubi de tempore, conditionibus, fine, cet. uniuscujusque fragmenti breviter agitur.

Conversio carminum in sermonem gallicum — perpolitam, nitidam, poetica, concinna —; scriptor enim non tam in ipsis poetae verbis

referendis entitur, quam in re clare exprimenda.

Variae, bellissimaeque tabulae pictae ad antiquitatem classicam spectantes libro continentur quibus vivide Horatii loca et fragmenta commemorantur.

Grates ergo ex imo cl. Petro Grimal persolvamus maximas de libro suo optimo, quo redivivus, nostrae aetatis vereque novus poeta Horatius nobis factus est.

*Certamen Capitolinum X, MDCCCCLVIII*. Curante Instituto Romanis Studiis provehendis, p. 79.

Instituti Romani studiis provehendis auspiciis, Romae in aedibus Capitolinis decimum de Luna Capitolina certamen celebratum est, cui sex et triginta petitores ex Europa et America adierunt.

Quorum cum nullum quinquevirorum collegium dignum haberent quem praemio Urbis — praemio maximo — decorarent, secundos ex aequo victores iudices declararunt. Hi sunt: Albertus Albertani (*Syracusae captae*), Aldus Bartalucci (*Sermocinatio matutina*) et Joachim Petrolli (*Qua ratione quibusque artificis quaedam mihi nota animalia hominesque sibi victum apparent*).

Hoc ergo fasciculo hae tres commentationes continentur quas maximo quidem oblectamento legi.

Cl. Albertus Albertani concinno sermone «urbem illam tam validam, tot virorum fulgore praestantem» describit quae «ad postremum lacrimabili exitu» perit.

Lectissimus et litteratissimus vir Aldus Bartalucci lepidam maxime fingit sermocinationem inter Marcellum et Lucium. Cl. tandem Joachim Petrolli elucubrationem summa cumulandam laude legentibus offert, id est de animalibus quibusdam quibus «fundit humo facilem victum justissima tellus».

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

CICERONE. — *De natura deorum*, a cura di N. MARINONE. I classici della Nuova Italia, Firenze, 1960, pag. V XXX+3-211.

Domus editrix «*La Nuova Italia*» quae per totam Italiam optimarum artium studia ma-

xi:ne provehit, nos novo multisque virtutibus cumulado donat libro qui, ut superiores ab eadem domo evulgati, signo vere praesenti et novo procuduntur, non tantum in iis quae ad interpretationem sive philologicam, sive aestheticam referuntur, sed etiam in ratione seu via quam conscriptores in auctoribus exponendis sequuntur. Quare hujus domus opera inter praeclarissima atque meritissima ab studiosis putantur.

Libellus hic bipartito distribuitur: cujus in prima parte (p. 3-107) antiqua, praecipue vero epicurea theologia exponitur, enodatur atque confutatur. In altera operis parte (p. 109-202) res tota de theologia stoica et tractatur et subtiliter evolvitur itemque ut falsa rejicitur.

Praefatio seu introductio praemittitur (p. V-XXX) maximi habenda quae multa continet de rerum adjunctis atque temporum condicionibus — id est de victoria Caesaris de Pompejo —, in quibus opus Ciceronianum exaratum est, deque earum in Ciceronis animo efficientia.

Hoc *de natura deorum* argumentum per dialogum — more vero Aristotelico — traditur. Liber textum accuratissimum nobis offert notulisque multis et commentariis sive philosophicis sive grammaticis ornatissimum quae ad librum intellegendum magnopere prosunt.

Opus indice (p. 205-211) nominum priorum, rerum, vocabulorum graecorum absolvitur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

DUCHET-SUCHAUX — *Histoire Romaine*, Hachette, 1951, pag. 63. *Histoire Grecque*, Hachette, 1952, pag. 63.

En accipe, lector, duos optimos scienter que quidem mente conceptos libellos quos — eadem charta et typis excussos, eadem divisione dispositos (sex habent fasciculi capita) eodemque pagellarum et tabularum pictarum numero (67 unusquisque liber tabulis constat) —, officina libraria «Hachette» historiae classicae studiosis offert.

Argumento rebusque narratis forsitan — mea sententia — complexio generalis seu gestorum et annorum index, quibus res evenierint, desideretur.

Tabulae et imagines quibus libelli collustrantur ita diligenter sunt electae, ut eis inspectis, historia per se patens, dilucida, perspicua, vivida fiat. Quare corporis hujus lemma «Encyclopedie par l'image» merito inscribitur.

Libelli clauduntur brevi indice bibliographico.

Si ergo vis, lector humanissime, uno oculorum conspectu gesta tam latina quam graeca complecti, hos duos fasciculos ad magnamque ex eis voluptatem percipies.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

JIMÉNEZ DELGADO, JOSÉ, C. M. F. — *El Latín de Tito Livio*, pag. 54. 21 x 15'5. Publicaciones de la Revista «Enseñanza Media», n. 140. Madrid, 1961.

Commodus omnino libellus iis, qui ex intimo sermone callere cupiunt maximum illum rerum scriptorem latinum, Titum Livium. Praeclarus Professor, in Salmanticensi Universitate, P. J. Jiménez, plurimum adhuc in evulganda Titi Livii opera incubuit, idque secunda merito fortuna.

Hoc vero in libello rem grammaticam Livianam ante alumni oculos sedulus scriptor ponit. I. Substantiva (pp. 8-14). II. Adjectiva (pp. 1-22). III. Pronomina (pp. 23-28). IV. Verba (pp. 29-39). V. Praepositiones et adverbialia (pp. 40-42). VI. Conjunctiones (pp. 43-48).

Brevis praestitit libro de latino sermone apud Titum Livium introductio, et praecipui de re praebentur libri. Paucis denique absolvitur elucubratio de iudicio Titi Livii. Exemplorum autem selectio et digestio optima. Quantum libet opus parvae molis, reapse solidi ingentis et doctrinae, ex quo, si quid mei est iudicii, in alumnorum magistrorumque medullis haerebit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

FRISK, HJALMAR. — *Griechisches Etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 12. Carl Winter, Universitaetsverlag, Heidelberg, 1961.

Nobilis illa bibliotheca — «Indogermanische Bibliothek» — haud labore in linguis excolendis supersedet. Et graecum etymologi-

cum Dictionarium, a praeclaro professore H. Frisk constanter elaboratum, in dies ab humaniorum litterarum cultoribus confectum absolutumque percipitur.

Duodecimus hic fasciculus, a voce λείμαξ ad vocem μείγνυμι usque procedit (pp. 97-192). Eadem omnino via et ratione, eodem prorsus probato ingenio, opus in lucem editur. Cum germanico illo «Lateinisches Etymologisches Woerterbuch», ab egregio viro Aloisio Walde elaborato, et scientiae linguisticae provinciam maxime honestat, et domum Editricem Heidelbergensem perenni monumento dignissimam facit.

HAROLF ETTENSBERGER. — *El libro de los Monaguillos*. 140 pag. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Ex octava editione germanica, cui inscriptio «Das Ministrantenbuch», in linguam hispanicam hic scitus libellus a claro viro Joanne Godo Costa conversus est. Brevibusisque perspicuis pagellis, id omne ab scriptore promittitur, quod acolytho educando necessarium est. Prima pars de acolytho universe; altera pars de ecclesia vel domo Dei; tertia pars de acolytho ante altaria; quarta pars de acolytho intra Missam et Communionem.

Plurimis tota res picturis imaginibusve tanquam ante oculos ponitur. Libellus specimen est perspicuitatis, cujus doctrina solida et secunda, quippe quae a maximo rei magistro — praeclaro v. H. Ettensberger — enucleatur, et pueris, qui Sacrum peragenti ministrant, praebetur.

A. MARQUÉS C. M. F.

D. RUNES, DAGOBERT. — *Letters to my Teacher*. Philosophical Library, New York, 15 East 40th Street. Library of Congress Catalog Card Number LC-60-53159, pag. 106, 1961.

Discipulum delectando docere, magni habetur in disciplina potissimum paedagogica. Clarus vero polygraphus Dagobertus D. Runes id rei, hoc in opere lectu et captu commodissimo, usu atque arte comprobavit.

Ab antiquis institutionis viis, quibus et ipse usus fuerat adolescens, exordium su-

mens, tanquam ad Philosophiae trutinam novas adigit vias, ex quibus utilissimae diebus nostris doctrinae e re nata oriuntur. Liber hic maxime commendandus parentibus et omnibus puerorum et adolescentium praeceptoribus. Epistularis usus rem commodiorem reddit intellectui capiendam, praesertim cum scriptoris calamus, ut nunc est, acuta prorsus ratione agitur.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

PAOLI, HUGO HENRICUS. — *Varius Libellus*, ad usum scholarum redactus; a Petro Bernardini lepidis imaginibus exornatus. pag. 76, 15'5 x 21'5. Le Monnier Florentiae edidit A. D. MCMLXI.

Ex ipsius libri inscriptione facile auctoris propositum percipitur. «Fabellae, colloquia, Indorum proverbialia»: en tibi opusculi quasi conspectus. Etenim tres ingenuae fabellae proponuntur. «Asinus, bos, mercator praedives», «De equo Prometheus culpante», «De regis filia pulcherrima» (pp. 3-28). Colloquia deinde octo lepidiora consequuntur (pp. 29-54). Tandem Indorum decem et centum proverbialia colliguntur (pp. 55-70).

Libri scilicet latinitatis discipulis commodissimus: eo nempe et hilari et recto tramite latinae litteras discunt. Nobilitas quidem stili magister, praeclarus vir H. H. Paoli, plurima adhuc in scholarum usum documenta redegit, ex quibus haud rara vulgata sunt in editionibus gallicis, germanicis, americanis.

Libri vero hujus typographica ars, ut domus Editrix assuevit, nitidissima; imagines multae, selectae, jucundae. Liber vere aureus nostris latinitatis alumnis habendus. Utinam et alta ejusmodi anthologica nobis delibanda a cultissimo latinitatis magistro in posterum comparentur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

GUENNOU, JEAN. — *La Costurera Mística de Paris*. 232 pag. 20, 4 x 12, 4. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

In linguam hispanicam convertit hoc opus clarus vir Alexander Ros. Sex vero in partes materia tota digesta a praeclaro scriptore est. I. Vita vana et voluptaria (pp. 11-54). II.

Temporis spatium in paradiso (pp. 55-56). III. Asperae probationes (pp. 67-92). IV. Desertum et Sinai (pp. 76-162). V. Densae tenebrae (pp. 163-204). VI. Excellentia Claudinae Moine (pp. 205-231).

Nobilissima illa nomina, in Theologia Ascetica et Mystica, Sanctae Teresiae a Jesu, Catharinae Genuensis, Teresiae a Jesu Infante in mentem veniunt cum huiusmodi ignotae «Sarcinatricis» scripta perlegimus. Ea nempe recondita in tabulario Seminarium Missionum Exterarum Parisiis, ansam praebuere edendae doctorali thesi, cui inscriptio «Una mística desconocida del siglo XVII».

Eruditus libri auctor, Theologiae Asceticae et Mysticae Professor in eodem Seminario in lucem feliciter edidit textus spirituales Mysticae Sarcinatricis, qui summum in animis perfectionis desiderium excitabunt. Liber humanitatis plenus. Lectio prorsus jucunda. Doctrina animos sedans. Opus denique dignum cui legendo quidquam huius nostri temporis tam perturbati impendatur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

HORATI FLACCI, opera tertium recognovit F. KLINGNER (Bibliotheca Teubneriana). Best. Nr. 1436. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri MCMLIX.

Indagatio atque inventio textus est proptium Bibliothecae Teubnerianae munus, quae tantum maxime probatas lectiones accipere solet. Hoc autem opus tertium nunc editur cura et studio ipsius doctissimi viri Klingner, qui, adhibita recentissimorum investigatione locos dubios impensius examinavit atque perfecti, opusque emendatissimum praeparavit. Lectoribus, uti credo, satisfaciam si libri structuram et virtutes explicem. Tribus praefationibus (pp. XXII) rationes in textu e codicum generibus quam sincerissime eruendo atque edendo ad unguem perpenduntur. Nonnullae paginae indicis «E. Suetoni Vita Horati» tribuuntur, deinde sequuntur in paginis 1-311 Horatii Opera: Carminum III, Epodon I, Sermonum et Epistularum libri duo. Hae paginae textui destinatae, eleganter distincteque excusae, testimonio veterum scriptorum ornantur et codicum recensione, breviter, presse satisque perspicue explicatis.

Absolvitur volumen indice carminum necnon Indicibus Vollmerianis (314-378), in quibus praecipua rerum metricarum, prosodicarum, grammaticarum luculentissime et sub titulis spisse ordinata (314-38), omniaque nomina (338-78) parum explicata colliguntur. Hi indices vere thesaurus et quasi horatiani operis commentaria. Ex his liquet librum summae fidei maximam magistris et alumnis commoditatem allaturum.

E. T. CANAL, C. M. F.

CREMASCHI, GIOVANNI. — *Guida allo studio del latino medievale*. Biblioteca di Cultura. Liviana Editrice en Padova. 1959, pag. VIII-240.

Opus pro suscepto scriptoris proposito omnibus numeris completum. Tria autem in eo laudanda videntur.

Primum est totius operis institutum, divisiones, ordo, ex quibus, ut ab hac disciplina alumni lucide procedant, mirum est quam commode liber scholis aptari possit. Deinde perspicua in stilo simplicitas, qua consequitur ut qui legat jucunde intellegat edacemque se conferat ad ampliora de his rebus studia. Quo in rei exitu suas habebit partes bibliographia, quae, idque denique laude dignum, — seclusa altera parte enumerandis laboris adjumentis in universum dicata —, in notationibus post singula capita, non sicce confusaeque sed commentariis condita, dispositae ministratur. His auxiliis alumni quasi luminibus in ulteriorem viam diriguntur.

E. T. CANAL, C. M. F.

VAN DER HEYDEN · H. H. SCULLARD. — *Atlas of the Classical World*, Nelson, London, 1959.

Manibus habemus editionem anglicam a H. H. Scullard paratam operis *Atlas van de antieke Wereld* (Amsterdam, Elsevier) quod a Van der Heyden in lucem editus est.

Liber hic constat e 73 chartis geographicis variis coloribus depictis, e 4/5 imaginibus luce expressis, additis 222 pagellis quibus res explicantur et indicibus nominum et rerum qui 24 pagellas complent.

Jam ex his, lector, colligere potes nos manibus habere volumen quidem primarium in quo optimis chartis geographicis, photographiis et commentariis accuratis nobis apponitur quasi quaedam synthesis totius antiquitatis Graecorum et Romanorum

Chartae enim geographicae maximae sunt utilitati. Non enim aspectus tantum geographicos illustrant, sed etiam plures alios aspectus vividius explanant, ut religionis et administrationis et militum et litterarum et artium et, praecipue, rerum publicarum, ope diversorum colorum et symbolorum et verborum complexione. Quae omnia sine dubio nobis adjuvant ut res gestas et monumenta optime super ipsa loca geographica referamus.

Imagines seu photographiae optimae quidem sunt, ex quibus multae ex aëre depromptae in hoc opere primum in lucem exprimuntur. Notandae vero sunt photographiae aëriae locorum praecipuorum Romae et Latii, quibus optime dignoscimus eorum situm antiquum et hodiernum. Ita verum centrum Romae—Palatinus mons, Capitolinum et Forum—cum vicis Romae hujus temporis optime comparamus.

Et cum his photographiis, quae artis plenae sunt, alias imagines invenimus quae rem agitatum illustrant, nihil de earum rerum tempore curantes; ut cum de exercitu romano agitur, series imaginum juxta posita est quae uno conspectu totius rei militaris explanationem patefaciunt. Neque tantum illae photographiae seliguntur quae ob earum artem, memoria dignae habentur, sed etiam altae rerum cotidianarum et domesticarum exprimuntur ut ita varii vitae aspectus antiquorum appareant.

Chartae geographicae et photographiae junguntur et complentur narratione et explanatione quae, si aliquoties praecisae brevesque sunt et technicae, semper tamen nitidae et expositae sunt. His enim narrationibus et explanationibus res publicae sociales atque litterae doctae antiquitatis compositae evolvuntur; hoc est: Graeciae et Romae praecursores, harum urbium et conformatio et incrementum, ac denique ampla cultus humanitatisque Graecorum propagatio et Romanorum imperii potestas, quae pedetemptim de-

crevit usque ad ejus in Oriente extinctionem, verbis tractantur et explicantur.

Ultima vero parte libri agitur singulatim de optimis litteris et de arte ac peritia Romanorum in legibus condendis; quae omnia maxime favorunt progressui litterarum recentiorum in Occidente.

Indices, qui 24 pagellas complent, non solum hoc opus velut optimum fontem uberrimum voluptatis faciunt legenti orationes et imagines prospicienti, sed etiam illis qui studia humaniora exercent instrumentum necessarium est ad perficiendas lucubrationes.

J. GARCÍA, C. M. F.

ROSSET, CHARLES. - *Exercices, Versions et thèmes latins*. Classes de Quatrième et de Troisième. Pag. XII - 416, 22 x 14. Les Éditions de l'École, 11, rue de Sèvres, Paris - VI<sup>e</sup>, 1960.

In hoc novo opere clarissimi latinitatis Professoris C. Rosset, textuum interpretatio latinarum litterarum primas habet partes; huic quidem rei maxime incumbendum est qui discipuli mentem dirigit in scholis, ex usu gallicorum magistrorum, «Quatrième» et «Troisième» nuncupatis.

Perquam notus apud latinitatis cultores est hujus operis auctor, quam ut opus nobis sit eum laudibus cumulare. In officina libraria «Les Éditions de l'École» facile cum alumnorum magister litterarum latinarum reperire potest libros quibus ratiene et via in intimam humanitatem perveniant.

Hac autem ratione clarus scriptor in opere procedit: Antequam accurata et erudita de re praefatio (pp. V-XII). Sequitur latinum selectum vocabularium nominum, adjectivorum, verborum, vocum invariabilium (pp. 1-20). Tum exercitationes Latinae per grammaticae cursum (pp. 21-248). Inde versiones et themata (pp. 249-400). Operis indices commodissimi; tabulae pictae plures et selectae; dispositio typographica ad rem prorsus; explicatio ac rei grammaticae expositio arte paedagogica, ut ita dicam, referta. Ex quo alumnorum mentes, saturatas epulis bonarum cogitationum, latinitate quoque saturare facilius aptiusque erit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

HUENERMANN WILHELM. — *San Pto X, la llama ardiente*, pag. 366, 12,4 x 20'2. Barcelona, Editorial Herder, 1961.

Stilo sane facili leptoque, hoc opus in hispanicam linguam convertit clarus vir Marianus Martín Ortega, O. S. A. Eorum hic liber, qui cum Sancti tum Homini mentem quasi aucupantur, eamque lectori luculentiore ratione atque artis ingenuae adminiculo proferunt.

Summus Pontifex, Joannes Sarto, Sanctus Pius X, vere hodiernorum temporum Sanctus ibi adhibetur a nobili scriptore V. Huenermann. Benignitate sua animos alliciens persona hujus Vicarii Jesu Christi, toto in opere commonstratur. Plurimae scilicet sunt quasi scaenae in vita S. Pii X suavitate plenae in conversatione cum hominibus, quibus adeo delectabatur. Teneriore quidem, ut erat, animo in singulis pagellis apparet.

Liber hic vere, ut ita dicam, «popularis»; maximi ad animorum formationem emolumentum; in quo vividus sensus religiosus; lectu denique utilis ac jucundus. Paucis, aureus omnibus sincere commendandus liber.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PLATON. — *Critón*. Traducción del griego, prólogo y notas de Francisco García Yagüe, pag. 50; 15'5 x 11'5. M. Aguilar, Editor, Buenos Aires, Argentina, 1960.

Conversio hispanica ad scholarum usum, dialogi Platonis cui index «Critón». Quaedam de dialogo a claro viro F. García Yagüe praelibantur, instar prologi. Notissimi hujus dialogi praecipuae editiones memorantur. Lucido autem et erudito sermone hispanice redditus est liber.

Notulae totam rem alumno faciliorem certo reddent. Mentem atque animum moralem philosophi et magistri Socratis magno opere expromit clarissimus Discipulus. Una igitur et litteraria et philosophica re commode lectoris mens imbuetur. Maxime igitur dilaudandi, qui in humanissima Re Publica Argentina de «Biblioteca de Iniciación Filosófica» edenda sedulo periteque curant.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ROMAGNOLI, ETTORÉ. — *Filologia e poesia, saggi critici*, pag. 520, 24 x 16. Nicola Zanichelli, Editore, Bologna.

Perenne quidem monumentum egregio magistro, qui viginti modo abhinc annos et vita migravit, claro viro H. Romagnoli, ponderosum hoc volumen in lucem editur, idque duce Instituto Philologiae Classicae Facultatis Litterarum in Universitate Romana. Et merito, nam Professor Romagnoli ex primoribus fuit apud Italos qui cultum disciplinamque poeseos et artis pristinae Graeciae excoluit et provexit: in philologia ac poesi inter primores certo dimicavit.

Amplio volumine orationes, dissertationes Magistri continentur, quae cum studiosorum mentes humanitate cumulent, tum memoriam auctoris prodant in saeculorum cursum. Eae vero indicis inscriptiones: *L'Azione scenica durante la Parodos degli «Uccelli» d'Aristofane* (pp. 1-8). *L'Elegia Alessandrina prima di Callimaco* (pp. 9-38). *Bacchilde* (pp. 39-82). *Proclo e il ciclo epico* (pp. 83-168). *Vasi del Museo de Bari* (pp. 169-188). *Ninfe e Cabiri* (pp. 189-248). *Pindaro* (pp. 249-280). *Polemiche pindariche* (pp. 281-298). *I contributi del Wilamowitz* (pp. 299-330). *Origine ed elementi della Commedia d'Aristofane* (pp. 331-502). *Come nacquero le Rappresentazioni classiche* (pp. 503-518).

Libri praefationem (pp. V-VIII) clarissimus Professor Hector Paratore scienter lectoribus paravit.

PAOLI, UGO ENRICO. — *Carmina*, pag. 364, 25'5 x 17'5 Felice Le Monnier - Firenze, 1961.

Discipuli, amici, studiosi eximii litterarum latinarum Magistri, Professoris H. H. Paoli, volumen in unum conferre opera poetica, hinc inde dispersa, voluere. En tibi ratio hujusmodi vere aurei libri, summa artis typographicae cura evulgati. Inter recentiores latinitatis cultores, procul dubio, primas tenet clarus vir Paoli, cujus in calamo tanquam reviviscit lingua latina.

Et seria et jucunda vitae argumenta, latine et cogitata et expressa, recrearunt cum alumnorum tum magistrorum mentem in studiis humanitatis colendis, opera scriptoris

hujus libri. His autem partibus tota rei dispositio: Carmina convivalia (pp. 11-60); Carmina anserina (pp. 65-113); Carmina graviora (pp. 125-136); Vox Isargi (pp. 142-154); Carmina nuptialia et natalicia (pp. 159-188); Carmina senilia (pp. 191-198); Varia (pp. 203-227); Poëmata (pp. 231-240); Carmina recentiorum poëtarum latine conversa (pp. 243-251); Aenigmata (pp. 255-275); Appendix: Carmina juvenilia (pp. 281-288).

Amplius quinquaginta plenae notarum paginae sunt quasi minorum adjunctorum, ad unumquodque carmen pertinentium: jucundus quidem auxiliaris interpres. Index vero nominum amplitudinem argumentorum facillime commonstrat. Neque parvi faciendae aenigmatum aliarumque nugarum solutiones.

Recte meritoque discipuli Magistrum honorarunt: monumentum amoris laudisque crexerunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

LUCK GEORGE. — *The Latin Love Elegy*. London Methuen and Co Ltd. 36 Essex Street WC2.

In hoc libro sedula illa rerum tractandarum consuetudo legentis animum movebit qua cl. v. G. LUCK, nonnullarum Universitatum Magister, poëtas elegiacos, a Callimacho ad Ovidium, feliciter quidem exquirat atque expendit. Opus sane hactenus desideratum. Poëtarum vita, amores, arcana artis, cum eorum temporum moribus tum ex ipsorum poëmatum investigatione, acute perspicuntur. Locī latini interpretatione ornantur totumque Catulli poëma 68 in anglicum expolitis versibus convertitur. En operis indicem: *Preface*, p. 9; *Introduction*, 11; *The Origin of the Elegy as a Literary Form* 17; *The Early History of Elegiac Poetry in Rome* 39. *The Art of Tibullus* 62. *Alexandrian Themes in Tibullus* 76. *Minor Talents* 93. *The Poet from Umbria* 111. *Sacra Facit Vates* 124. *Augustan Rococo* 141. *The necessity of Self-Deception* 158. *Bibliography* 173. Opus absolvitur indice (1) nominum, (2) locorum, (3) verborum, notionum. Doctissimi viri nova doctrinae compagine alacritate plena delectabuntur. Praeterea ratio dicendi polita et copiosa, spaque libri species trahunt oculos et

mentem Liber est quidem quiete elaboratus qui temporis invidiam sustinere poterit.

E. TEJERINA, C. M. F.

PANIGHI, EMIDIO. — *Res et Mores* (Antologia di Livio, Tacito e Cicerone). Nuova Collezione di Classici Greci e Latini con note, diretta da R. Cantarella e B. Riposati. pag. 312, 20 x 13. Società Editrice Dante Alighieri p. a. (Albrighi, Segati e C.), 1961,

In hoc volumine XLII illius corporis quod «Traditio» inscribitur, selecti Livii, Taciti, Ciceronis loci a clarissimo scriptore E. Panighi proponuntur, accuratis vero notis locupletantur ut «res» et «mores» praecipui, apud antiquos Latinos, alumnis hodiernis facillime nota fiant. Vera ibi quasi anthologica habet litterarum latinarum studiosus, quibus linguam via et ratione perdiscat. Liber discipulis in primis Scholae Mediae Superiori aptatur.

Uniuscujusque Classici in libro biographia opera, stilus, traditio manu scripta, breviter praeciseque efferuntur. Excerpta rite selecta; notulae copiose, utiles, scitae. Valde tandem editio probanda, quae alumnis enixe commendetur in latinitatis cognitione usuque perficiendis.

A. MARQUÉS, C. M. F.

HERRLE, THEO. — *Froehliches Latein*. Teil II Lateinisch. Beacon-Verlag, Bad Duerkheim, pag. 52, 21 x 15.

De libello repetitionis atque exercitationis in latina lingua agitur. Morphologia — Casuum studium — Propositio: en totius opusculi quasi compendium pleni variorum lepidorumque «latinitatis hodiernae» flosculorum Conscriptor, clarissimus vir Theo Herrle, lectoribus sane notus ex illo ejusdem opere *Lebendiges Latein. Versuche zur Verlebendigung des Lateinunterrichts vom Mittelalter bis zur Gegenwart*. Wiesbaden, Kesselring 1953.

Modo atque ratione jucunda magister linguae latinae discipulos, ope hujus libelli, litteras latinas docebit. Commodus, perfacilis, brevis, rite juxta paedagogicas leges dispositus. Sic ad astra latinitatis nobis eundum est.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



## SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VIII — (FASC. I) — N. 29

M. MARTIO

A. MCMLXII

### De animalis fascinatione

Fascinationem vim illam vocamus qua serpentes quadam oculorum acie praedam ad se insuperabili virtute attrahere dicuntur; quem mirum influxum inter falsas fabulas communiter relegant in zoologia versati.

Audeamne ignarus ego illis contra dicere?

A quodam nempe consobrino meo omni fide digno audivi se ranam vidisse sic ad colubrem accedentem, renitentem quidem at quasi invisibili tractam funiculo. Aspiciens autem, misericordia motus in bestiam mox deglutiendam, virgae ictu fascinantem fugavit, atque protinus, liberata rana ab oculis subducta est. Quidquid de hoc ac de nimia mea credulitate sentiant docti, cognati narrationem ut veram semper tenui. Nunc autem multo magis eo quod rem satis similem et ego vidi.

Fortis sedens alatum bestiolam aspicebam volantem, quin a loco ad locum transiret. Quod sane rarum non est; nec mirum nisi quod talem facultatem minimis insectis Creator dedit, dum homo non nisi post multos labores multumque temporis complexam machinam tandem efficere poterit quae, sub gallico nomine «helicoptère» idem faceret, cum tamen magno ac molesto strepitu; bestiola illa, contra, dulcissimum alarum motu emittebat sonum.

Subito autem eam vidi obliquo tramite terram petere ad imum parietem proximum. Aspexi, et ecce: in hujus parietis rima jacebat lacertus qui jam in ore illam tenebat bestiolam.



Aliud insuper animadverti: hujusmodi lacertus, quem vulgo cinereum vocamus, mitissimus inter reptilia videtur, cujusque plerumque palpebrae oculos fere opertunt sicut somno indulgentis. Tunc autem ejus oculi non solum aperti sed quasi ex orbe exibant furentes. Mihi visus est tanquam parvissimi quidem at ferocissimi crocodili species. Diutius eum observare voluissem. Fortasse autem visu meo perterritus, velocissime fugit, non tamen derelicta praeda.

Quid ergo? — Doctor me in naturali doctrina, cui supra narrata nota feci sic interpretanda putat: «Ad imum parietem prompte volavit illa bestiola quia ex errore, ibi cibum convenientem vidisse putavit: praedam quaerens praeda facta est: non est aliud excogitandum».

Nullum mihi esse argumentum quo talem explicationem retorqueam libenter fateor. Non impedit tamen quominus mihi persuasum sit me quandam fascinationis speciem vidisse.

GREGORIUS JOSEPH, O. S. B.  
N. D. de Tournay, in Gallia

# Doctor omniperitus

Fuit olim pauper agricola, nomine Cancer. Quodam die, dum boum plaustrum ducit lignis onustum, in urbem venit: eaque ligna ducentis pesetis cuidam doctori vendidit. Qui ei pecuniam solvit dum mensae assidebat. Cumque lignator vidisset quam optime doctor ederet et biberet, illius fortunae motus invidia, cogitavit, quo modo et ipse doctor fieret; et aliquantulum cunctatus, quaesivit ab illo possetne ipse doctor esse.

—Ita est!, respondit sapiens. Nihil facilius.

—Quid enim faciendum mihi est?, quaesivit agricola.

—Primum codicillum emes in cuius operculo gallus exstat; deinde plaustrum bovesque vendas. Quibus venditis vestes ceteraque apta ad obeundum doctoris munus emes. Postremo, schedulam conficere jubebis, in qua legatur: «Doctor Omniperitus», eamque in domus porta affiges.

Rusticus omnia, ut sapiens dixerat, fecit. Ecce autem cum munere jam diu fungebatur, a potentiore quodam domino pecuniae summam ignoti fures subri-

puerunt. Cumque quis loqueretur cum eo de «doctore omniperito» qui in vico habitabat et certo sciebat ubi pecunia rapta exstaret, vehiculum parari jussit, vicumque petivit; et cum in domum doctoris pervenisset, interrogavit eum essetne «doctor omniperitus». Cumque ita esse respondisset, eum rogavit ut secum iret ad nummos, sibi surreptos, recuperandos.

—Optime, fiat!, hac tamen conditione: comitari me debet Margarita uxor mea.

Et cum dominus condicionem accepisset, cum conjuge in vehiculum ascenderunt et abierunt. In aedem vere regiam intrarunt, in qua, cum mensa esset parata, dominus eum ad prandium invitavit.

—Optime, inquit, sed cum uxore Margarita.

Tum mensae tres assiderunt.

Cumque primus famulus intrasset lancem plenam succulentorum obsoniorum portans, «doctor omniperitus» cubiti ictu conjugem admonuit:

—Margarita, hic primus est —significans illum servum esse qui primum ferculum mensae opponebat—. Sed famulus intellexit: «Hic primus latro est»; et cum revera esset, tremuit et egressus, comitibus:

—Hic doctor —inquit— scit omnia; male erit nobis; me, primum esse asseruit.

Alius famulus intrare volebat; sed tandem ingressus est, et ubi apparuit cum secundo ferculo, rusticus alio cubiti ictu conjugem quoque admonuit:



—Margarita, hic alter est!

Famulus, territus, quam primum discedere curavit.

Haud melior fortuna tertio fuit; nam cum eum rusticus vidisset, iterum:

—Margarita —inquit— hic tertius est!

Quartus famulus lancem operam ferebat, domusque erus doctori dixit illi ostendendam esse scientiam, qua divinaret quid illa lance contineretur. Ille vero cum catinum aspexisset, nesciebat quid responderet, dixit tamen:

—Miser cancer!

Et cum profecto cancri lance casu continerentur, id cum audisset dominus, miratus:

—Plane —inquit— scit omnia. Sciet ergo etiam quisnam pecuniam habeat.

Tunc vero domesticus perterritus, doctori oculis innuit quasi rogaret ut foras exiret. Cum extra triclinium fuit, quattuor servi ei confessi sunt se subripuisse pecuniam, sed paratos esse ad restituendam et praeterea ad summam argenti illi impertiendam si tacere profiteretur. Duxerunt in locum, ubi summam raptam absconderant, et postea doctor mensae assidens:

—Nunc, inquit, domine, librum meum consulam ut investigem ubi pecunia sit.

Sed quintus famulus se abdiderat in

camino ut audiret quid ille diceret; num quid amplius doctor sciret!

Homo consedit, aperuit libellum et folia volvens, quaerebat gallum; sed cum non inveniret, exclamavit:

—Istic, intra es, et quamvis invitus necessario exire debes!



Cumque qui in camino erat putaret doctorem de se locutum esse exiens perterritus:

—Hic homo —inquit— plane scit omnia!

Tunc doctor ero locum significavit, ubi erat summa deducta, quin diceret quis esset auctor furti. Itaque ex utraque parte pinguiorem mercedem accepit sibi «Doctoris Omniperiti» laudem et famam vindicavit.

M. ESCURA et V. CLIMENT, C. M. P.

In latinum verterunt

KENNEDY praesidem esse voluit, quia munus neque facile neque commodum erat

Kennedy, Civitatum Foederatarum Americae, extremis comitiorum suffragiis habitis mense Decembri, anno millesimo nongentesimo sexagesimo, creatus est praeses, et decimo tertio calendas Februarias anno millesimo nongentesimo sexagesimo primo magistratum iniit.

In nuntio auspicali, omnibus gentibus novos spei et pacis fines protulit, dixitque «Jura hominum non ex liberalitate rei publicae sed ex manu Dei provenire». Et dicere pergebat «Fax in novam Americanorum generationem — qui hac aetate nati sunt et bello firmati, frigidae et amarae pacis disciplina instituti, vetere hereditate superbi: neque tamen cupidi videndi tardum jurium hominum occasum, quibus gens nostra semper obstricta est quibusque adhuc se devinctam sentit—, translata est».

Decimo tertio Calendas Februarias in ea clarissima «Domo Alba», cui nomen vulgo «Casa Blanca», collationem habuit Eisenhower — qui fuit Civitatum Foederatarum Praeses, quique suo munere eodem die abibat—, cum novo Praeside Joanne Kennedy, in qua de rebus quae ad salutem patriae spectabant, egerunt.

Oratio Kennedy Praesidis adeo benevole apud omnes gentes excepta est ut vel communistae in spem venerint in mutuum consensum conveniendi.

Duo diaria Civitatum Foederatarum, quibus nomina sunt, alteri «New York Times» alteri «New York Herald Tribune», haec referebant: «Primum novi Praesidis officium, primum sui testimonium, post jusjurandum datum, et post rem publicam susceptam gubernandam, est in oratione auspicali capita rerum expromere quae in sede «Domus Albae» perficere vult. Joannes Kennedy Praeses, primum sui testimonium optime dedit. Ejus oratio apta fuit, eique omnes assentimur. Kennedy optime elocutus est, non tantum pro nova administratione, sed etiam pro Civitatibus Foederatis Americae et pro universo orbe terrarum».

Vel ipsae Communistae nationes — Russia, Cuba— voluntatis inclinationem in novum Praesidem significarunt. Statio radiophonica Moscoviae in Russia: «Pro viribus efficiemus ut amicitiae semina, felices gignant exitus». Populus russicus credit, magno omnium conatu, nationes nostras consequi posse ut status omnium populorum in melius mutetur.

Utinam haec spei et pacis fulgura universum orbem collustrent et tenebrae dissipentur.

*Scriptis* MARTIALIS CASAJUS, C. M. P.

Barbastri, Vi C. alumnus

---

## IN SCHOLA

Josephus in schola est, pedes extra mensam projicit, et dulciarium sugit.

*Magister:* Josephhe!

*Discip.:* Quid desideras, domine?

*Magister:* Dulciarium ex ore ejice et pedes

intro duc.

Barbastri

I MARTIARTU

---

—Ubi, Cat, pulcherrimum poculum lucratus es?

—Cursu.

—Quos cursu vicisti?

—Custodes duos et poculi dominum.

L. PARICIO

Barbastri

## AENEAS

Magnus poëta Vergilius in libro claro Aeneam laudavit. Aeneas inter Trojanos vixit et fortis dux militum fuit. Deam Venerem matrem habebat. Postquam Agamemno cum militibus graecis adversus Trojam ivit, ferox Aeneas diu cum hostibus pugnavit. Sed postquam hostes patriam Trojam deleverunt, Aeneas tandem Asiam reliquit et diu per maria navigavit... Primum in Africam ivit, ubi diu apud reginam Didonem vixit. Deinde in Italiam cum viris suis et navibus ivit. Diu adversus incolas pugnaverunt et multa vulnera acceperunt. Tandem in Latio vixerunt. Aeneas et Trojani suntne majores Romanorum?

### II. CURSUS ALUMNUS

*Cervariae.*

## AGNULUS ET PUELLULA

Hieris tempore altae nives ubivis jacebant nec quicquam vestis qua cooperiretur puellae in promptu erat. Igitur, necessitate compulsa selem postulavit: praebe mihi, quaeso, villi tui, quo regar, parum.

—Nego penitus me socordem esse, respondit felix. Ipsemet villo meo utor.

Puella prius cuniculum, deinde ursum, postulandi gratia, convenit. Uterque pariter opem recusavit neque unum roganti commodavit floccum. Saetas quoque suas pernegavit aper indigenti puellae.

Spe orbata ac maerore confecta domum petit seque ad limen stravit plorans. Interdum accessit agnus qui puellam observans: «tota friges, inquit, misera. Nemo te solari vult? En tibi lanam meam; hanc tibi vestem indue quo calefias».

—Minime gentium, agnicule; quod tuum est, retine; secus frigore tibi pereundum est.

—Nihil refert, inquit laniger, quominus frigora patiar. Iterum lanula veniet.

—Sit; sic fiat una sub condicione: donec tibi rursus lana veniat, mecum eris domi, tui ego curam geram in omnibus: cenabis, prandebis, dormies sub tecto meo.

Illa frigida hieme, grati animi puella et agnulus tonsus una felices et laeti commorati sunt. Inde omnes nusquam pueri argent neque vestibis, quibus frigora pellant arceantque, destituti sunt. Hoc opus, haec munera sunt comis liberalis animi ovium!

R. SARMIENTO

Quaedam adulescens Mark Twain dicebat: «Ah! Ita taedio, amice, sum affecta, ut neque libri tui laetitiam mihi afferre possint».

—Ego quidem, inquit Mark, tibi aliquid mittam, ad taedium radicitus adimendum.

—Itane?...

Insequenti die involucrum accepit quo haec omnia continebantur: scopae, acus, digitabulum et alia quibus artem plumariam exerceret...

IGNOTUS



Bene est; optime singultis, frater! Tu mihi videris nimium comedisse...


C. LATORRE

## PECTEN

1	2	3	4
·	A	·	E
·	·	·	·
I	E	O	I
·	·	·	·
O	O	O	O

- 1 cieo
- 2 recito
- 3 signo
- 4 mirabilis (dat)

# M. CURTIUS PRO PATRIA



Eodem anno, Q. Servilio Ahala, L. Genucio consulibus, seu terrae motu, seu qua vi alia forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur.



Eam tamen voraginem conjectu terrae quam quisque pro viribus ad implendum hiatum gerebat, cives romani frustra explere potuerant.



Deum monitu, quaeri coeptum est quo plurimum populus romanus posset. Id enim illi loco dicendum vates canebant, si rem publicam perpetuam esse vellent.



Tum M. Curtium, juvenem bello egregium, aegre tulisse ferunt cives romanos dubitavisse an ullum magis romanum bonum quam arma virtusque esset.

# DIS MANIBUS SE DEVOVET

Silentio facto, templa deorum  
immortalium, quae foro imminet.  
Capitoliumque intuentem, et manus  
nunc in caelum, nunc in patentes  
terrae hiatus ad deos manes porri-  
gentem, se devovit.



Equoque deinde quam potuerat  
maxime exornato insidentem, arma-  
tum se in specum summa pro patria  
virtute et constantia se immisit.



Tantum virtutis et fortitudinis  
exemplum mirati cives romani, et vi-  
ri et mulieres dona ac fruges super  
M. Curtium pie congererunt.



Animi grati causa et in perpe-  
tuam fortissimi juvenis memoriam,  
Romani lacum Curtium illius adu-  
lescentis nomine appellaverunt.



## AENIGMA OVIDIANUM

Vide infra aenigma facillimum factu. Cupisne hoc solvere? Praebui tibi exemplum perspicuum.

EXEMPLUM: Tempus edax igitur praeter nos OMINA perdit.

SOLUTIO: Tempus edax igitur praeter nos OMNIA perdit.

Verbum: 'OMINA' mutato ordine litterarum dat OMNIA.

- (I) Vaticinor moneoque: locum date CARAS ferenti!
- (II) Fine carent lacrimae, nisi cum PORTUS obstitit illis.
- (III) Scilicet incipiam MALI mordacius uti.
- (IV) Damnosa persto condere ENSEM humo.
- (V) Non DICTA in mores feritas inamabilis istos.
- (VI) Non est cur tua me janua nosse GENTE.
- (VII) ANIMO bis dices vera fuisse mea.
- (VIII) Et mala me meritis ferre ROMANI doces.
- (IX) Brachia da SOLAS potius prendenda natanti.
- (X) Turpe laborantem deseruisse MATRE.
- (XI) Meque simul VERAS iudiciumque tuum.
- (XII) Sic tibi vir POSSES, sic sint cum prole nepotes.

3 Lindow Road, Manchester 16, England

HERBERTUS H. HUXLEY.

### AD SALTUM EQUI

EST	PEC	NE	TIS	O	FI	NUS
DOS	SI	IN	TU	ET		MA
CONS	TE	NO	TI	LE	SI	DA
MA	IN	PRI	TUM	CA	STA	O
A	REG	FA	SU	PUM	BANT	RI
MA	LA	TAN	DUM	MA	YES	
	MI	NA	DI	NUNC	NIS	NE

A. ANDRÉS, C. M. F.

### VERA GLORIA

Manlius consul quondam a Caesare quaesivit quid, ut gloriam obtineret, optimum esset; «Hoc —inquit—: injuriarum ventam impertire omnesque laute remunerari».

M. ESCURA

### CAESAR HISPANIAM PETIT

Caesar adversus pompejanos milites expugnaturus Hispanias pervenisse dicitur. Nonnullis igitur pugnis superatis, ad urbem Mundam bellum translatum est. Eo tempore pericula maxima oppetit. Victoriā enim cum vidisset abicere, militibus clamitans in medios hostes irruit: «Nolitisne, milites, liberare me a pompejanis?» Qua objurgatione omnibus suis vires intulit, itque acriter dimicantes cum hostibus extemplo congressi sunt et victoriā Caesar adeptus est.

M. ESCURA

### ANTE TRIBUNAL

Judex: —Ubi habitas?

Vagus I: —Nullibi.

Judex: —Et tu?

Vagus II: —Huc sum vicinus.

J. ANT. M. GÓMEZ

## CONSTANTINUS IMPERATOR

Anno CCCXXIV Constantinus fertur petiisse magno cum apparatu Vaticanum juxta collem, ibique genibus flexis imperii signa deposuisse; cumque lignum accepisset terramque ferro lato brevique fodisset, duodecim corbes implevit terra eosque umeris portavit in memoriam duodecim Apostolorum qui Jesu Christi Evangelium per orbem terrarum propagarunt eoque loco terram deposuisse ubi Christianorum Basilica ad Vaticanum aedificata est.

V. CLIMENT

e VI<sup>o</sup> c. lat.

## CATELLUS SAPIENS

Dominae Sophiae catello sunt os album, nares et aures nigri coloris, caerulei oculi. Ejus imago a pariete pendere poterat aurea intexta tabula marginata (*marco*). Adeo ipse pulcellus erat!

Teste ipsa domina, omnia facere catellus potest; tantummodo loquendi facultate caret.

—Hoc fidem superat, inquit Sophiae ex cognatis quaedam propinquior; quamvis narus sit et intellegens canis tuus, credere minime possum ipsum omnia perficendi capacem. Multa erunt quae vires catelli ferre haudquaquam valent.

—E contra, rerum dulcissima, inquit domina, canis meus omnia potest; nihil est, inquam, quod perficere nequeat. Saepe illum neque canem esse suspicor

—Ast, canum opera ille facit? quaesivit vicina.

—Ipse latrat.

—Minime mirandum. Num ille fumum sugit? Num libros legit?

—Tandem aliquando si vis capere: ille et tibiam inflat!

Adeo amica rixosa erat et jurgia mollebatur ut Sophiae ejusque canem premere in animo haberet. Sophia autem sic vanitati inserviebat ut canis naturam mutare et sapientem ac litteris doctum canem esse contenderet.

Verbis vicina posthabitis in domum Sophiae properavit mane et lactis catinum plenum cani obtulit; qui, animalium more, o res miranda, linguam quam longam extraxit..., post ad instar canum, lingua sua catinum linct et mundavit totum...

## SIMIA VANILOQUA

«Quam pulcra es!» Haec apud se simia suam in speculo faciem videns exclamavit. «Quam pulcra sum! Quam leves agilesque pedes! Quam aptae adprehendendum manus mihi sunt! Motus totius corporis quam molles et inter se cohaerentes. Edepol, ne erus hos saltus neque scitule coram populo exhibere potis est.

Attat... quid oculis conspicio? Cujus haec foeda pilisque arata imago est? Ito in malam crucem, horrendum visu speculum maledictum! Numquidnam monstrum me credere cogis?»



Furtis accensa, ligno quod manibus gestabat, crystallum lucidum protrivit ictu compluribus fragmentis. Simia interea laetitia exultabat gestiebatque gaudio. Quod diuturnum non fuit. Nam cum multa eaque minuta specula humi fuissent diperdita, multas reddiderunt imagines foedissimo vultu, ore turpissimo simisque naribus...

Bonis Auris.

R. SARMIENTO

Explica causam qua dies temporis spatio adeo mobiles sunt.


—Miseria sane est.

—Qui?

—Dies quippe sine pane, sine fine quoque est.

# Verborum Aenigma

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21



## IN TRANSVERSUM:

**A.** Consonans · Ter eadem vocalis; **B.** Enatat · Vocem comprimo; **C.** (*Versis litteris*) «Petere» · Trojae proditor · Vocalis; **D.** Diligit · Deus Latii conditor; **E.** Accede · Syllaba enclitica · Urbs Judaeae (*gen.*); **F.** Proficiscatur · Percutio · Sed; **G.** Arbor; **H.** Consonans · pronomen · Qui frangit; **I.** Qui docet · Litterae e vocabulo «humifer»; **J.** Avis · Arcus pluvius · Consonans · Pennata; **K.** Ignaro · Genitor · Desertum; **L.** Litterae e verbo «breves» · (*Versis litteris*) Indoctum · Vocalis · Litterae e verbo «attendes»; **M.** (*Versis litteris*) Pronomen · Incipe · Syllaba enclitica · Commiscentur consonantes et duplicantur vocales in v. «rete»; **N.** Vocalis · Consonantes e verbo «donec» · (*Versis litteris*) Vultu · Consonans · Reddo quater (reboat); **O.** (*Versis litteris*, et priscum est) Loquere · Nomina (*deest littera*) · Vocalis · Vero; **P.** Sorex (*litteris commixtis*) «Tiset» · Syllaba enclitica; **R.** (*Versis litteris*) «Age» · Numinis · Conjunctio · Conjunctio condicionalis · Littera; **S.** Hieme operit montes · (*Versis litteris*) «Proficiscor» · (*Versis litteris*) Vago · Litterae e voce «adamasci»;

**T.** Aequus · Littera · Consonans · Terram findo · Laetor; **U.** Mons Jovis (*Versis litteris*) Agro · Consonans · Vocalis · Praepositio; **V.** Negatto · Palo · Vocalis · Litterae e verbo «Nantes»; **W.** Domina · Avis · Consonans · Resina Panchaica; **X.** Conjunctio Interrogativa · Litterae e verbo «vultur» · Sicut; **Y.** Vocalis · (*Versis litteris*) Vel · Accipe; **Z.** Consonans

## AD PERPENDICULUM:

**1.** Salve · Oceanus; **2.** Ludi graeci · Urbs Latii (*dat.*) · Pini fructus; **3.** Instruunt · Urbs Baeticae · Ecce · Orno; **4.** Imperatoris romani · Aegyptiorum dea · Virtute · Animal aquaticum; **5.** Pronomen · Praepositio · Statim; **6.** Merces; **7.** Radices educis · Interjectio; **8.** Usu · Praepositio · Filius Isaac; **9.** Colubra (*abl.*) · In quem orationem Cicero habuit; **10.** Consonans · Caseum rodit · Durum esse; **11.** Animal quod vitam agit in pinetis · Vocalis · (*Litteris versis*) Infimo · Consonans · Erosus; **12.** Aevum · Iterum dic; **13.** Fiat · Regina quae emit Herculem · Diuturnum; **14.** (*Versis litteris*) Conjunctio (*subst.*) · Opportune · Vocalis · Consonans; **15.** Quare placent flores? · Mons sacer Apollinis · Vocalis; **16.** Turba verbum «Amenon» · Iterum tardo (*sed superest consonans*) · Oppidum Hispaniae Tarraconensis; **17.** Vocalis · (*Versis litteris*) Littera graeca · Ego audax sum · Mons · Tu (*cum enclitica*); **18.** Deus «Mars» apud Gallos (*genet.*) · Cantus · Es audax; **19.** Insulae juxta Massillam; **20.** Carmen · Pronomen demonstrativum (*Acc.*); **21.** Filia Inachi.

M. ESCURA

Cum in quendam temulentum aquae cadus esset coniectus, custos interrogavit:

—Quod tibi est nomen?

—Haud omnino scio: isti autem, qui nunc me «baptizant», te de re certiolem facient.


## Post periculum in mare

*Doctus quidam:* —Plurimas tibi gratias refero.

*Qui opem tulit:* —Indignus sum ut mihi gratias referas.

*Doctus:* —Ignosce quaeso, nunc me nare didicisse in mentem revoco.

C. M.<sup>a</sup> BARBARIN



## SCALAE SUBLIMES

1 · 7	Aggressi (particip.)
10 · 11	Vernum tem- pus (ablat.)
2 · 8	Divinis
7 · 5	Posita
9 · 8	Animatis
12 · 14 · 4	Vade
13 · 3	Nutrivit

Si quae verba proponun-  
tur in alta ejusdem sensus  
mutaveris et syllabas per  
numeros apte divideris, sen-  
tentiam invenies quam si  
sequeris, felix apud homi-  
nes eris.

## TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5	6	7
1							
2							
3							
4							
5							
6							
7							

- |                  |               |
|------------------|---------------|
| 1 Insula         | 5 Causa       |
| 2 Hispani (dat.) | 6 Pronomen    |
| 3 Imago (dat.)   | 7 Praepositio |
| 4 Asiae amnis    |               |

## SOLUTIONES

Cfr. PALAESTRA LATINA n.º 174, p. 128-29-32.  
PALAESTRA ADULESC. n.º 26, p. 16 · 17 · 20.

*Ad saltum equi*: «Longum iter per praecep-  
ta breve et efficax per exempla».

*Triangulus magicus*:  
Apulia  
Paris  
Uris  
Is  
A

Cfr. PALAESTRA LATINA, n.º 175-76, p. 236 · 7 ·  
42 · 43 · 44 · 46.

PALAESTRA ADULESC., N. 27 · 28.

*Ad saltum equi* (p. 236): «Non asini confe-  
cit apis sua mella palato».

*Triangulus magicus* (p. 237):  
Venusia  
Elidis  
Nidis  
Udis  
Sis  
Is  
A

*Aenigma Horatianum* (p. 244): *Vestigia trans-  
versa*: (7) Attali; (8) Romani; (9) alit; (10) in-  
versus; (11) Aeolides; (14) spem; (15) ego; (16)  
habes; (18) Corinthi; (20) abnormis; (23) cibo;  
(24) fluere; (25) diurno. *Vestigia erecta*: 1 Stul-  
te; 2 Tantalus; 3 divi; 4 provisor; 5 amor; 6  
incude; 12 December; 13 ego; 14 senectus; 17  
bibuli; 19 habena; 21 olet; 22 sede.

*Scalae sublimes* (p. 245):

O FONS BAN·DU·SI·AE SPLEN·DI·DI·  
1 2 3 4 5 6 7 8 9  
OR VI·TRO HO·RA·TI·US.  
10 11 12 13 14 15 16

*Pictura*: «Per aspera ad astra».

*Triangulus magicus* (p. 244):  
Uranta  
Reses  
Asto  
Neo  
Is  
A

*Verba quadrata*:  
Reses  
Evado  
Sapor  
Edomo  
Soror

*Catena Vergiliana*: Mensem, semper, perfer,  
ferali, aliqua, quater, terras, rastris, tribus,  
bustum, tumult, Ulixes.

*Pictura*: «Et renovabis faciem terrae».

# IMBREM RORAT

M. MOLINA, C. M. F. latine aptavit

*♩ Rainium*

Imbrea rorat! Guttu- lis pileus madescit. Imbrea rorat! Guttu- lis immo calcei.

Iter mihi quam laetum, cum pluuia vis- sit! quam reboat pinetum meis modo canticis!

*Tru la la lala lia lia lia lia lia*

1 Imbrem rorat! Guttulis  
pileus madescit...  
Imbrem rorat! Guttulis  
immo calcei...  
Pedes, conspergunt lutum,  
in genis lutum est!  
Caput ferre pollutum  
mea nihil interest.

2 Imbrem rorat! Guttulis  
pileus madescit...  
Imbrem rorat! Guttulis  
immo calcei...  
Diffugit jam tempestas  
laetus surrexit sol;  
abstergebit et tecta,  
pileum et calceos...

Jam non pluit! Guttulae  
et nubes recedunt!  
Jam non pluit! Nebulae  
quoque abeunt!

## GEOGRAPHIAE SCHOLA

Geographiae lectionem, Joannule, te ho-  
die non optime didicisse arbitror.

—Minime, mater; sed patrem audivi to-  
tius universi tabulam geographicam in sin-  
gulos fere dies mutari; quam ob rem mihi  
visum est duos expectare annos usque dum  
totius orbis res prorsus componantur.

ISMABL ZIMMERMANN  
e V<sup>o</sup> c. lat.

Rosarii, in Argentina.



Mirum sane! Tintinnabulum pulsamus, et  
nemo aperit...

C. LATORRE

# BIBLIOGRAPHIA

MADDALENA, ANTONIO E GONE — *La Letteratura Greca, Storia e antologia.* pag. 372, 21'5 x 13'5. Editori Laterza — Bari, Via Dante 51.

En tibi litterarum graecarum anthologica, Italica lingua expressa, a nobili officina libraria Laterza in lucem evulgata. Propositum clari Professoris Antonii Maddalena non fuit novam historiam litterarum graecarum ad lyceorum usum exarare; tametsi id esset in amicorum votis Editorum. De re commode in praefatione.

Hoc librorum genere id assequi contenditur ut et veteres Graeci mente comprehendantur et eorum institutiones optime percipiuntur. Atque ea de re opus, uti absolutum, magni pendendum. Interpretationes vero quae afferuntur a praeclarissimis scriptoribus, Pindemonti, Monti, Pascoli, Quasimodo, Romagnoli, Zanichelli, Valgimigli sunt conscriptae.

Magna libri pars Homero poëtae, idque merito, dicatur. Hac vero ratione: «*I canti degli aedi e la leggenda omerica, La questione omerica, L'Illiade, L'Odissea, I poemi ciclici, La Batracomachia*» (pp. 13-242). Et Hesiodo cognoscendo lepidae pagellae cumulantur (pp. 243-268). Tum summatim «*I lirici, I giambografi, La melica monodica, La melica corale*» (pp. 269-328).

Ac denique «*La favola ed Esopo, Ilogografi, Filosofia e Scienza. Il dramma dorico ed Epicarmo*» (pp. 329-366). Cum graeci auctores tum eorum opera ad trutinam artis criticae parce revocantur, qua quidem re totam lucubrationem in melius reddi posse arbitramur, ut maximo usui sit litterarum graecarum studiosis.

HILTBRUNNER, OTTO. — *Kleines Lexikon der Antike.* Dritte neu bearbeitete und erweiterte Auflage. pag. 564, 18 x 11'5. Francke Verlag Bern und Muenchen, 1951.

Decimum quartum hoc volumen in corpore «*Sammlung Dalp*». Quod totam amplectitur vitam et historiam Graecorum Roma-

norumque, ab initio usque ad medii aevi exordium (VI saec. p. Christum n.). Re quidem vera, tanquam facilis et manualis dux in antiquioribus rebus graecis et latinis ad discendis Tertia libri haec editio magno opere in melius reddita ac locupletata est. Etsi prima fonte parvae molis, maximi tamen argumenti ingenique opus.

Professor in Universitate Bernensi est praeclarus libri auctor, ac praeterea conscriptor illius praestantissimi latini lexici, cui inscriptio *THESAURUS LINGVAE LATINAE*. Amplissima laude cumulatam est «*Kleines Lexikon der Antike*», ab actis diurnis «*die Neue Zeitung*», Berolini; «*Revue de Philologie, de Littérature et d'Histoire Anciennes*», Parisiis; «*The Classical Review*», Londinii.

Vera est de re bibliotheca thesaurusve; maxime hoc illis opus commendandum qui de rebus, personis, eventis antiquae Graeciae et Romae quicquam callere exoptant resque penitus perspectas habere volunt. In parvis dictionariis, hoc fortasse omnibus auctoritate, comprehensione, facilitate, commoditate praestare dicas.

OVIDE. — *Confidences et Récits, expliqués et commentés par Charline Brosgol-Remy.* 64 pag. 18'5 x 13. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1961.

Editio haec *Metamorphoseon Ovidii*, latinarum litterarum poëtae longe nobilissimi, a Ch. Brosgol-Remy parata alumnis praesertim Lyceorum et Collegiorum praebetur. Scita sunt in opusculo commentaria et explicationes nitido ac facili stilo exarata.

Hujus modi vero libelli index: *Introductio* (pp. 3-6). *Excerpta* cujusdam «*Testamenti poëtici*» (pp. 7-9). *Qui homo fui* — *Tristes IV*, 10— (pp. 10-17). *Metamorphoses* (pp. 18-22). *Philemon et Baucis* in fabula (pp. 23-35). *Proserpinae raptus* (pp. 36-43). *Orpheus et Eurydice* (pp. 44-55). *Pygmalion* (pp. 56-60). *Bibliographia* (pp. 61-62). *Paucis*, libellus lectu et intellectu facilis, qui verus latinistae alumno amicus deventat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

# GAUDERE NOS ET EXSULTARE OPORTET

et vos qui hos PALAESTRAE LATINAE commentarios legitis:

cum Joannes XXIII, Pontifex Maximus, nuper Constitutionem Apostolicam VETERUM SAPIENTIAM promulgarit in qua praestantiam et momentum litterarum antiquarum et in primis linguae latinae lucide evidenterque patefecit; eam enim linguam summo semper honore Ecclesia coluit et ut a Patribus transmissam hereditatem excepit, cum singularibus ornata sit virtutibus —nam est universalis, immutabilis, non vulgaris, vereque catholica—; in qua praeterea primum ejiciatur fundamentum necesse est in adulescentium animis, qui futuri sunt Dei ministri, conformandis: haec enim lingua utitur Romanus Pontifex, hac sacra Romana Consilia, hac leges Ecclesiae promulgantur, hac in Ecclesia Romana liturgicus peragitur cultus, hac Ecclesiae Patres et Doctores sapientissima doctrinae documenta scripserunt, hac in scholis utuntur —uti debent— doctores in evolvendis et explicandis sacris disciplinis, hac efficax vinculum inter omnes qui eandem profitentur ubique terrarum fidem constituetur, —hac, fas sit nobis addere, peridoneum vereque humanum vincietur vinculum in illo inducendo et efficiendo virorum doctorum ex variis orbis nationibus commercio—...

Quibus —aliisque quae hic perstringi nequeunt— perspectis atque cogitate perpensis rebus octo statuuntur decreta quibus certa muneris conscientia et auctoritate Romani Pontificis «opportunis normis gravi hoc documento editis, cavetur ut vetus et numquam intermissa linguae Latinae retineatur consuetudo, et, sicubi prope exoleverit, plane redintegretur».

Quae omnia insequenti fasciculo, vos qui linguam latinam colitis et amatis, perlibenter legetis...

SEGRETERIA DI STATO  
di Sua Santità

Dal Vaticano, li 7 Febbraio 1962

N. 78081

*Rev.mo Signore,*

*L'Augusto Pontefice ha letto con paterno compiacimento le devote espressioni in distici latini, che Ella scrisse in occasione del Suo 80° genetliaco, e che ha voluto inviarGli in pio omaggio.*

*Il Santo Padre, vivamente grato per questo attestato di filiale ossequio e per la delicata preghiera che Ella ha rivolto al Signore per Lui, Le esprime fervidi voti per la sua attività e Le invoca copiose grazie celesti; e in pegno di esse, come pure a conferma della Sua benevolenza, di cuore Le invia l'Apostolica Benedizione.*

*Con sensi di distinta stima mi professo*

*della S. V. Rev.ma dev.mo nel Signore*

Reverendissimo Signore  
Can. Francesco Aloise  
 Rettore del Seminario Vescovile di  
Nicotera e Tropea — Tropea

*A. G. Card. Cicognani*